DE

JACOBI PELETARII CENOMANENSIS

[JACQUES PELETIER DU MANS]

ARTE POETICA

(1555)

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

DOCTORIS GRADUM ADEPTURUS

PROPONEBAT

H. CHAMARD

INSULIS

APUD BIBLIOPOLAS LE BIGOT FRATRES

25, VIA DICTA NICOLAS-LEBLANC, 25

—

MDCCCC

DE
JACOBI PELETARII CENOMANENSIS
ARTE POETICA

DE

JACOBI PELETARII CENOMANENSIS

[JACQUES PELETIER DU MANS]

ARTE POETICA

(1555)

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

DOCTORIS GRADUM ADEPTURUS

PROPONEBAT

H. CHAMARD

INSULIS

APUD BIBLIOPOLAS LE BIGOT FRATRES

25, VIA DICTA NICOLAS-LEBLANC, 25

—

MDCCCC

OPTIMO DILECTISSIMOQUE PATRI

PRAEFATIO

Jam abhinc plures annos, de veteribus nostris artibus poeticis saepius quaesitum est, ac fuere studiosi quidam qui scriptis illis, antea parum aut male cognitis vel etiam admodum ignotis, libenter operam dederunt. Sic anno 1882, Georgius Pellissier, doctoris gradum adepturus, Facultati Litterarum Parisiensi latinam thesim « *de sexti decimi saeculi in Francia artibus poeticis*[1] » proponebat : in qua varios hujus generis libellos eo tempore compositos quod vulgo *Renovationis* nomine dicitur recensebat, ex Arte profectus quam Petrus Faber edidit (1521) ut cum opusculo Valkelini de Fraxineto (1605) finem faceret. Anno autem 1887, Eugenius Lintilhac thesim quoque proponebat de illo libro qui, Lugduni prolatus (1561), ad classicam disciplinam apud nos condendam maxime valuit, scilicet « *de J.-C. Scaligeri poetice*[2] ». Anno denique 1890, Ernestus Langlois, altius repetens temporaque praesertim illa fovens quibus floruerunt subtiles et verborum et rhythmorum artifices quos « *rhétoriqueurs* » gallico nomine designamus, in Sorbona disputabat, necnon eruditissime quidem, « *de artibus rhetoricae rhythmicae, sive de artibus poeticis in Francia*

[1] Lutetiae Parisiorum, apud Vieweg, 1882, in-8°.
[2] Lutetiae Parisiorum, apud Hachette, 1887, in-8°.

ante litterarum Renovationem editis, quibus versificationis nostrae leges explicantur [1] ».

Qui etsi omnes excellenter de sua re scripserunt, haud tamen nullius operae nobis esse visum fuit et his scriptis aliquid addere et his etiam quae proximis annis nonnulli de Pleiadis doctrinis composuere : ergo voluimus, auctoribus doctissimis illis praestantissimisque magistris Petit de Julleville et Aemilio Faguet, quorum studium erga nos quam optimum non satis declarare possumus, opusculum quoddam excutere, quod paucissimi temporibus nostris legunt, quamvis tempore suo non nullius momenti fuerit, Jacobi Peletarii Cenomanensis *Artem Poeticam* dico. Nimirum, in accuratissimo libro suo, Pellissier quid in hac Arte plurimum valeret praeclare notavit [2] : at Valkelino de Fraxineto potissimum incubuit, cujus operi plus quam dimidiam commentationis suae partem attribuit. Quare nonnullis fortasse videbitur is quodam modo neglectus fuisse qui Valkelino viam aperuit : cujus tamen liber ad scribendam Pleiadis historiam tantum adjuvat, ut dignam inesse in hoc materiam, quae largius altiusque tractetur, dicere non dubitem. Nec temere quidem : nam Peletarii opus, cum anno 1555 editum fuerit, inter *Defensionem et illustrationem gallicae linguae,* quam anno 1549 scripsit Bellaius, situm est et *Poeticam Artem,* quam Ronsardus anno 1565 in vulgus emisit. Ex hoc autem libro, tanquam in medio posito, manifestum est quantum intra sex annos profecerint Aurati discipuli : *Defensio* enim indigentia multorum praeceptorum laborabat ; Peletarius vero ditior est, tamque saepe novarum rerum auctor, ut

[1] Lutetiae Parisiorum, apud Bouillon, 1890, in-8°.

[2] Vide tertiam partem, p. 44-50. — Posterius, eadem gallico sermone expressa Pellissier, cum Valkelini de Fraxineto *Artem Poeticam* ederet, in editionis prooemio repetivit, cap. III, p. XXIII-XXVIII. (Lutetiae Parisiorum, apud Garnier, 1885, in-18).

jam Ronsardi *Artem Poeticam* primum, dein praescriptas *Franciadi* praefationes, quae haud multis annis post editae sunt, minus stupeamus. Majore etiam cura digna res esse videbitur, si scriptorem illum poetices anno 1555 prolatae memineris eumdem esse qui Pleiadi vias aperuerit, atque prius et Ronsardi et Bellaii singillatim amicitia usus sit, quam ambo illi inter se amicitiam jungerent. Nonne enim mirum est, quod Peletarius, Clementis Maroti principio fautor ac discipulus, magistro tamen audacior novarumque rerum multo studiosior, ad novam disciplinam hora prima transgressus est, cujus adventum ipse quodam modo festinaverat, legesque mox clarius ac rectius promulgavit, quam ille praeco qui nuper e Coqueretico Collegio artis novae tonanti voce Paeana cantaverat ?

Priusquam autem huic operi indulgerem, cura mihi fuit ex editione principe, cujus in Parisiensi Bibliotheca Nationali exemplaria duo servantur [1], Peletarii libellum quam diligentissime potui transcribendi. Quam editionem satis notum est ne nostra quidem aetate, quamvis veterum librorum curiosa, iterum typis fuisse mandatam ; neque unquam, ut verisimile est, mandabitur : singularibus enim in scribendo signis usus est Peletarius, quibus fit lectio difficilior [2]. Quae ipse ego signa, cum locos quosdam Peletarii referrem, non omnia transtuli : nam et legentibus ingrata sunt, dum oculos novitate qua-

[1] Res. Y^e. 1214 et 1215.

[2] Quid Peletarius de reformanda orthographia censuerit, ipsius Peletarii liber expromit, cui gallico sermone hic titulus : *Dialogue de l'ortografe e prononciacion françoèse, departi an deus livres, avec une Apologie à Loys Meygret.* Quem librum Pictavii primum apud Enguilbert de Marnef edidit anno 1550, in-8°, iterumque Lugduni apud Joannem de Tournes, anno 1555, in-8°. (Bibl. Nat. — Res. X. 1954). — De hoc cf. Livet, *La grammaire française et les grammairiens au* XVI^e *siècle*, 1859, p. 134-175, et Brunot, *La langue au* XVI^e *siècle*, apud Petit de Julleville, *Histoire de la langue et de la littérature française*, t. III, [XVI^e *siècle*], 1897, p. 765-768.

dam inusitata offendunt, nec typi sunt quibus ea restituantur[1]. Quapropter horum, quae abhorrent a singularitate nimia, ea sola retinui.

Finienti liceat juniorem amicum Joseph Gosselin, nunc in Sorbona litteris studentem, grate designare : qui, quo minus imperfecta lectori commentatio mea succederet, omnes citatos locos rursus principi, quae in Bibliotheca Nationali detinetur, editioni contulit.

[1] Videas illius scribendi generis specimen quoddam apud Livet, *op. cit.*, p. 174-175.

INDEX NOMINUM

In hujuscemodi operibus, quae sermone antiquo quam minime antiquas res tractant, recte potest timere scriptor ne quid in scripto suo obscurum sit. Quapropter nobis visum est, quod antea fecit Pellissier, in libri fronte propriorum et communium nominum indicem inscribere. Plerumque mutuati sumus ab ipsis auctoribus qui XVI° saeculo vixerunt gallica nomina in latina conversa : quae tamen cum haud semel defuerunt, aut gallicae appellationis servandae veniam sumpsimus, aut ex opusculis Georgii Pellissier et Ernesti Langlois nomina detorsimus : quibus, quod saepe nobis auxilio fuere, grates agantur.

I

NOMINA PROPRIA

Alamannus (Ludovicus), Luigi Alamanni.
Altarius (Gulielmus), Guillaume des Autelz.
Anulus (Bartholomaeus), Barthélemy Aneau.
Ariostus, l'Arioste.
Auratus, Dorat.

Baifius (Antonius), Antoine de Baïf.
Baifius (Lazarus), Lazare de Baïf.
Bellaius (Joachimus), Joachim du Bellay.
Bellaqueus (Remigius), Rémy Belleau.

Belo (Petrus), Pierre Belon.
Bembus (Petrus), Pietro Bembo.
Bochetus (Joannes), Jean Bouchet.
Bolaeus, Boileau.
Buchananus (Georgius), Georges Buchanan.

Castellanus (Georgius), Georges Chastellain.
Charondas (Ludovicus), Louis le Caron.
Cretinus (Gulielmus), Guillaume Cretin.
Crux a Cenomanis, La Croix du Maine.

Denisotus (Nicolaus), Alcinous comes, Nicolas Denisot, comte d'Alsinois.
Deperius (Eutychus), Bonaventure des Périers.
Doletus (Stephanus), Étienne Dolet.

Faber (Petrus), Pierre Fabri.
Fenelo, Fénelon.

Gallandius (Petrus), Pierre Galland.

Heroetus (Antonius), Antoine Héroët.
Hospitalis (Michael), Michel de L'Hospital.

Jodellius (Stephanus), Étienne Jodelle.

Laudunius (Petrus), Pierre de Laudun d'Aigaliers.

Magnius (Olivarius), Olivier de Magny.
Major a Belgis (Joannes), Jean Lemaire de Belges.
Marotus (Clemens), Clément Marot.
Meigretus (Ludovicus), Louis Meigret.
Molinetus (Joannes), Jean Molinet.
Morellus (Janus), Jean de Morel.
Muretus (Marcus Antonius), Marc-Antoine Muret.

PASCHASIUS (Stephanus), Étienne Pasquier.
PELETARIUS (Jacobus), Jacques Peletier.
PERUSIUS (Joannes), Jean de la Péruse.
PETRARCA, Pétrarque.

RABELAESUS, Rabelais.
RACINIUS, Racine.
RONSARDUS (Petrus), Pierre de Ronsard.

SANGELASIUS (Mellinus), Mellin de Saint-Gelays.
SANGELASIUS (Octavianus), Octavien de Saint-Gelays.
SANNAZARUS, Sannazar.
SESSELLIUS (Claudius), Claude de Seyssel.
SIBILETUS (Thomas), Thomas Sibilet.
STEPHANUS (Henricus), Henri Estienne.

TAHURELLUS (Jacobus), Jacques Tahureau.
THIARTUS (Pontus), Pontus de Tyard.
TURNEBUS (Adrianus), Adrien Turnèbe.

VALKELINUS DE FRAXINETO, Vauquelin de la Fresnaye.
VERDIARIUS (Antonius), Antoine du Verdier.

II

NOMINA COMMUNIA

Ambigui rhythmi, rimes équivoques.
Ballata, ballade.
Bini rhythmi, rimes plates.
Cantus regalis, chant royal.
Oda, ode.
Odula, odelette.
Podium, puy.
Propago, provignement.

Quaterni versus, quatrain.
Renovatio, Renaissance.
Rhythmus, rime.
Romantium, roman.
Rondellus, rondeau.
Sonettum, sonnet.
Terni versus, tercet.

PROOEMIUM

Antequam Jacobi Peletarii *Poeticam Artem* aggrediamur, necesse est quibus temporibus composita fuerit breviter memorare.

Non illud erat Peletarii primum opus. Jam enim anno 1544, si quidem Crucis a Cenomanis testimonio credimus, Horatii *Epistulam ad Pisones* gallicis versibus transtulerat : quod opusculum, ut alias diximus[1], multo minus per se valet, quam illa praefatio qua Peletarius gallicam linguam laudibus extollit, aetatisque suae poetas vehementer hortatur ut sermone patrio, non alieno, jam utantur. Ceterum ipse, anno 1547, ut praeceptis exemplum adderet, « *Operum Poeticorum* » volumen edidit, in quo jam apparent artis novae quaedam indicia, dum poeta tentat poesim ex assuetis regionibus detortam ad intentata trahere. Hoc libro novarum rerum auctorem omnibus se proferebat. Etenim, ingenio promptus et ardens necnon temerarius, aequales suos impellebat ad imitandos et antiquos et Italicos scriptores. Ab anno 1543 Peletarium scimus Ronsardo familiariter usum esse, quocum, in urbe Cenomanorum, quaestionem agitaverit quibus modis antiqua odae forma patriam in poesim induci posset. Ipse paulo post Peletarius ignotum adhuc Ronsardum notum omnibus fecit, cum inter propria carmina carmen

[1] Vide thesim nostram de Joachimo Bellaio, p. 33 sqq.

amici quoddam miscuisset. Idem, anno 1546, Bellaium cui, ut credere licet, Pictavii occurrerat, incitavit ut odas jam praecipue coleret ac fingeret sonetta, quippe quae genera poematum essent in primis digna quae jam a vatibus foverentur [1].

Nemo nescit quomodo de lingua poesique gallica bene speranti Peletario brevi tempore bene successerit. Bellaius enim, anno 1549, illam *Defensionem* emisit in qua, Aurati discipulorum praeco, leges novas novae artis facunde protulit. Nulla facta mora, multa statim carminum volumina has leges sanxerunt. Primus ipse Bellaius, natura sua properus, anno 1549, circa Paschale tempus, *Olivam* lectoribus atque *Lyricos Versus* obtulit, et sub ejusdem anni finem odarum volumen alterum cui gallico sermone hic titulus : « *Recueil de Poësie* » . Proximo autem anno, *Olivam* iterum edidit, sed ita novis auctam sonettis ut plus quam duplex evaserit. Ronsardus et ipse *Odarum* libros IV in publicum produxit (1550), secundoque post anno rursus *Amores* et *Odarum* librum quintum. Eodem tempore divulgabat Pontus Thiartus *Amatorios Errores* et *Lyrica Carmina* (1549-1552), Antonius autem Baifius, Olivarius Magnius, Jacobus Tahurellus *Amores*, in quibus *Melinam* Baifius (1552), Magnius *Castianiram* (1553), *Admiratam* Tahurellus (1554) canebat. Sic et sonettum et oda, tantum a Peletario laudata commendataque, magnifice jam florebant. Nec finis hic stetit : nam, dum Bellaius, consanguineum cardinalem Romam secutus (1553), morum novorum usu atque exsilii taedio, novam poesi suae viam, jam prioris studii immemor, aperiebat, qua vicissim ad *Antiquitates Romae*, ad *Ludos Rusticos*, ad

[1] De his cf. quod ipsi disseruimus « de inventione odae » in *Rev. d'hist. litt. de la France*, 1899, p. 21, thesimque nostram de Joachimo Bellaio, *loc. cit.*

Tristia, pulcherrimum quidem opus, pergeret, — ecce contigit Henrico Stephano codicem in Italia reperire manu scriptum, in quo carmina quaedam Anacreontea continebantur (1554). Qui codex typis mandatus haud parvam apud Gallos gratiam obtinuit : dux enim Pleiadis ipse Ronsardus, illo neglecto fereque contempto Pindaro, quem in primis ante foverat et, spe quadam aequandi, fuerat imitatus, subito Teium recens cognitum poetam, cum illi se minus imparem sentiret, tam gratum habuit, ut eum jam unice respiceret. Ergo *odulam*, si quidem hoc verbum fingere licet, ignotum adhuc carminis genus, inter assuetas jam poematum formas introduxit, et arte delicatissima, quem verum Anacreontem esse putabat, voluptatis vatem imitatus est : inde *Silvae*[1] (1554) et *Miscellanea*[2] (1555). Non autem solus Anacreontis imitator Ronsardus fuit : anno 1556, Remigius Bellaqueus, qui novissimus se Pleiadis poetis conjunxerat, inter Musarum chorum admitti meruit, quippe qui Teias odulas e graecis versibus in gallicos convertisset. Stephanus vero Jodellius, qui sibi pulpita servaverat, jam anno 1552, dum *Eugenium* et *Cleopatram* spectantibus exhibet, antiquorum comoediam et tragoediam apud nos introduxerat. Postremo Ronsardus, hortantibus amicis, in animo habebat Homerum ac Vergilium, ut ita dicamus, ad vitam ipse revocare patriamque suam ornare epico de Franco poemate, cujus fabulam in oda regi Henrico Secundo dedicata[3] jam delineaverat. Ergo, intra quinque

[1] *Le Bocage de P. de Ronsard, Vandomoys, dedié à P. de Paschal.* Lutetiae Parisiorum, apud viduam M. de Laporte, 1554, in-8°. (Bibl. Nat. — Res. pYᵉ. 124). — Hic liber novem *odulas* Anacreonteo more compositas habet.

[2] *Les Meslanges de P. de Ronsard, dediées à Ian Brinon.* Lutetiae Parisiorum, apud G. Corrozet, 1555 in-8°. (Bibl. Nat. — Res pYᵉ. 123). — Haud novem, sed bis novem *odulas* in hoc opere numeres.

[3] Vide *Odam de Pace*, anno 1550 editam. (Edit. Blanchemain, t. II, p. 26-33).

vel sex annos, omnes fere Musas studiosi tentaverant, nullaque Parnassi regio vacua poetis erat. Haud igitur vana Peletarii spes, haud irrita vota fuerant : poesis nova quaedam orta erat, antiquorum et Italorum imitatrix, quae Maroti discipulorum poematibus aut saepe levioribus aut admodum insulsis gravius nescio quid atque acrius supposuerat.

Dum autem haec in litteris geruntur, quorum ipse auctor quodam modo fuerat, quid agebat Peletarius ? Ille, cum esset, ut vidimus, natura sua promptus et mobilis multarumque rerum curiosus, jam poesis minus memor, totum primo se fere dederat disputationi quae Ludovicum Meigretum et Gulielmum Altarium de scribendi more reformando separatos habebat, annoque 1550 libellum ediderat cui gallice titulus is inscriptus : « *Dialogue de l'ortografe e prononciacion françoèse* ». Dein, cum scientiarum haud minus quam litterarum amator esset, ad mathematica se converterat, quorum, cum pergrata ea haberet, haud mediocriter, ut videtur, peritus erat [1]. Non ex umbratili vita jam exierat, nisi ut *Arithmeticam* (1551) et *Algebram* (1554) publicaret. Nec tamen omnino a carminibus abstinebat : interdum enim, cum illum mathematicorum taederet, ridebant versus, ut ipse, nec sine gratia quadam simplicitatis, ait : « Mes aprés i (scilicet de mathematicis loquitur) avoèr travalhè d'une ardeur extrordinere (einsi que font ceus qui ont long tans intermis une chose qui leur ét de bien expresse profession),

[1] In *Artis Poeticae* prooemio nobis fatetur ipse : « E par ce qu'an ma retrete je ne trouve james consolacion plus grande, ne qui mieus me face oublier mes pansemans fluctueus, que mes Matematiques, je me suis mis sus mon Euclide premieremant : duquel j'è ù bon secours a mon gre, eyant trouvè demonstracions e proposicions nouveles e singulieres : e même conçù bonne esperance de decouvrir choses qui ont etè longuemant cherchees e non ancores trouvees » (p. 4).

j'è pansè de me devoèr recreer sus quelque autre g'anre d'etude plus facile e de moindre speculacion : eyant tousjours cete opinion, qu'un homme bien nè doèt avoèr plusieurs ocupacions, qui secondet les unes aus autres. Quele recreacion n'è sù mieus choesir, que sus la Poësie : excercice vremant d'une bien dousse folie, e auquel n'ét bonnemant possible de renoncer, quand on s'an ét une foes delectè a bon essiant » (p. 4). Ex hac animi relaxatione novum illud volumen exortum est, *Amor Amorum*, quod typis Peletarius anno 1555 dedit : in quo, cum lyrica carmina, tum XCVI sonetta de rebus amatoriis.

At qui tam prudens erat, tam sapiens, tam diligens in omni re et causarum curiosus, is non erat quin artis suae principiis ac regulis graviter animum intenderet, cum praesertim sollicitarent eum Pleiadis poetarum opera, tantum ab iis quae prius facta erant differentia. Solebat chartis singulis passim ac temere, ut quidem aut cogitanti aut legenti successerat, illinere quidquid de poesi et arte poetica sentiret. Venit autem dies cum ei visum est utile futurum esse, si cogitationum suarum omnes faceret participes. Ergo chartas, imposito — necnon, ut ipse confessus est, aegre — ordine, composuit [1], eodemque anno 1555, aliquot mensibus post editum *Amorem*

[1] Illud quidem ex hoc prooemii loco manifestum est : « Mes voeci qu'an remuant ménage, j'è trouvè parmi mes confusions d'ecriz (selon la mode que j'è de fere mes caös, e puis mes mondes) certeins preceptes de Poësie, par ci par la, epanduz comme les feulhes de la Sibile, e mis par pieces an petiz coins de papier, comme l'imaginacion m'avoèt aportè divers poinz e diverses resons, an divers tans e an divers lieus. E les efeulhetant, e i trouvant beaucoup de bons trez, les uns de mon proget, les autres pris des bons ecriteurs, me suis tenù an l'amour de mon Françoes. E m'à samblè que je devoé fere plesir a noz amateurs de Poësie, an les leurs communiquant. Somme, je me suis mis a les ordonner : qui m'à etè certes une fatigue bien plus grande que n'usse pansè : vù la grand' melange que j'avoé a r'amasser. Or a quelque peine, an suis venù a bout : e l'è mis au net assez songneusemant, pressè toutefoes grandemant e du tans e d'aferes privez » (p. 5-6).

Amorum, Lugduni, ubi secundum jam annum Peletarius habitabat, edita fuit apud bibliopolas Joannem Tornaesium et Gulielmum Gazellum[1] *Ars Poetica*, cui titulus hic gallico sermone : « *L'Art Poëtique de Iaques Peletier du Mans, departi an deus livres*[2] ». Dedicatus liber erat Domino Zachariae Gaudart, Parisiensi, Regis consiliorum ministro, generali Lugduni exactori[3].

Haec Peletarii poetice, si quidem ad compositionem respicias, haud multum Bellaii *Defensioni* dissimilis est. Nam, ut *Defensio*, sic in duos libros est bipartita, quorum unus de artis legibus universis deque lingua, quippe artis poeticae ministra, disserit, alter autem de singulis gallicae poesis rationibus. Habet tamen *Ars Poetica* nescio quid in compositione diligentius et clarius quam *Defensio* : Peletarius enim, utpote qui mathematicis studuerit, ratiocinandi vim quamdam Bellaio insolitam usurpat. Quanquam ipsum etiam ejus Artis auctorem maxime patet xvi° saeculo vixisse, cum nemo quidem perfecto componendi labore uteretur. Satis profecto Peletarius in ordinando opere universo curiosus ac diligens, in unoquoque capite non satis : saepius a recta via flectit, lateque per inexspectata vagatur[4].

[1] Jean de Tournes et Guillaume Gazeau.

[2] Regis privilegium apud Aquae bellae fontem, die maii quarto, datum est.

[3] Extremo prooemio legimus haec : « Je t'è adrecè ce mien labeur, comme a celui que j'è eprouvè dine des presans de letres, pour l'honnete e liberal rakeulh que tu fés aus Letrez : qui n'an as ni lessè l' amour, ni ubliè la connoessance. E combien que tu ees voulù suivre un etat assez divers de tele profession, tu as voulù montrer que les Letres peuvet aporter ornemant aus plus dines excercices que l'homme puisse elire » (p. 6).

[4] Ut exemplis utamur, vide quemadmodum de Vergilii cum Augusto familiaritate (p. 9-10) deque Lucretii morte (p. 16) digrediatur. Respice etiam ut lente, dum de scientiarum progressu disserit, scribendum « de oda » caput inchoet. Saepe suspensum Peletarius sermonem tenet, sive ut errores a criticis commissos corrigat, sive ut emendet si quam interpretationem grammatici falsam dederint : sic p. 32-33 (de Flacci Maronisque versibus quibusdam) et p. 75 (de Plutarchi quodam errore).

Scriptoris nostri servabimus ordinem : commentationis igitur nostrae, sicut et ipsius *Artis Poeticae,* duae partes erunt. At non omnia parem locum obtinebunt capita. Nam, ut jam animadvertit Pellissier [1], multi sunt apud Peletarium loci communes, in quibus nihil fere novi : taedet in his commorari. Libentius his quae propria Peletarii sunt indulgebimus, inter quae plura quidem subtilia etiamque feliciter inventa. Praesertim in lucem ea proferemus quae poesis historiam Renovationis tempore clariorem efficere possunt.

[1] *Op. cit.*, p. 45.

PARS PRIOR

I

DE POESIS ANTIQUITATE ET EXCELLENTIA

***

Peletarius, ut decebat, non poterat quin *Artis Poeticae* suae initium poesis et antiquitatem et excellentiam praedicando faceret. Sic inceperat et ipse suam antea Thomas Sibiletus : qui principio [1] omnes artes ex eodem quo virtus fonte provenire profitebatur, « c'est a dire de ce profond abyme celeste ou est la divinité [2] ». Peletarius non aliter sentiebat, qui scripsit : « Il me samble que pour neant les ecriteurs se sont voulùz travalher a rechercher les premiers invanteurs des Ars. Car ce sont choses trop celestes, pour devoèr étre atribuees a l'imaginacion humeine. Les semances an sont an cete grandeur de Nature : laquele ocultemant e insansiblemant les à fèt antrer an l'esprit des mortéz » (p. 6). Quid autem ex his intellegemus, nisi quod origine sua poesis, ut artes ceterae, divina sit ? Nimirum homines formas poesis varias fingere potuerunt carminumque figuras illas quibus unumquodque poematum genus exstat, quas omnes breviter « poeticum artificium » appellamus: ipsam vero poesim non creavere, cum ex ipsa natura venerit ille « modus numerusque loquendi », qui si defuisset,

[1] Lib. I, cap. 1.

[2] Sibileti *Poeticam Artem* ex editione principe (1548) commemoro. (Bibl. Nat. — Res. Yᵉ. 1213).

nunquam exsistere potuisset poesis. Ergo a caelo ortum duxit[1].

Quod ad poesis excellentiam attinet, Peletarius nihil aliud quam explicat Horatii praeclaros versus in *Epistula ad Pisones* inclusos :

Silvestres homines sacer interpresque deorum...[2]

Itidem posterius in *Epistula ad Academicos*[3] Fenelo faciet. Breviter et commentatur criticus noster illam « divini » Platonis sententiam, scilicet poetas sacro furore suo deorum interpretes esse[4]. Honores denique memorat quibus reges olim poetas afficiebant, et copiose, Macrobio auctore, narrat qua Vergilius apud Augustum gratia etiamque familiari amicitia sit usus, cum princeps poesim tanti fecerit ut ipse versus componeret. Concludit : « Donq, qui osera peu estimer la Poësie, honoree des bienfez e de la profession des ampereurs du monde ? » (p. 10). At non plura de his dicenda : nam Peletarius, dum poesis excellentiam poetarumque sacram naturam laudibus extollit, tractata jam, nec semel, a Ronsardo Bellaioque versat[5] : digniora quidem sunt alia ad quae properemus.

[1] « Les anciens ont fèt Apolon e les Muses presider a la Poësie, comme Dieus a une chose divine, pour montrer qu'ele n'à origine autre que celeste » (p. 7). — Cf. p. 34 : « La Poësie, comme les autres Ars, ét un don venant de la faveur celeste. »

[2] *Epist. ad Pisones*, v. 391 sqq.

[3] Cap. V, *Projet de poétique*, edit. A. Cahen, 1899, p. 53.

[4] *Ion*, cap. V : Οἱ ποιηταὶ οὐδὲν ἄλλ' ἢ ἑρμηνεῖς εἰσι τῶν θεῶν.

[5] Vide praecipue Ronsardi odas cum Michaeli Hospitali, tum Joachimo Bellaio dedicatas. (Edit. Blanchemain, t. II, p. 68 et 117).

II

DE NATURA ET ARTE
QUID DE TEMPORIS SUI POETIS PELETARIUS SENSERIT

***

Nonnullis forsitan haud utile fuisse videatur in arte poetica verbosius disputare utra plus valeat, naturane sine arte an ars sine natura. Peletario non ita visum est: nec enim poterat quaestionem a Sibileto jam et a Bellaio disputatam praetermittere, cum praesertim non eamdem uterque disputationi conclusionem fecisset [1]. Ceterum cogitanti facile veniet in mentem jure quaestionem hanc curae majori illius aetatis quam nostrae scriptoribus fuisse, cum in hoc adeo totum certamen positum fuerit : scilicet, dum disputant in contraria et Maroti discipuli et Pleiadis poetae, dabant illi plus naturae, hi vero, quanquam non naturam aspernabantur, quamplurimum tamen arti concedebant.

At Peletarium, cum et ipse quaestionem disceptandam aggrederetur, nescio quid clarius attulisse vellem. Cui visum est, ut quidem erudito, quin immo nimis erudito, Horatium ac Platonem, Ciceronem ac Quintilianum continuo permiscere, ita ut obscuritatis vitium non semper fugiat. Quod ad Peletarii proprium de controversa re sensum attinet, haec colligere possumus. Si *naturam* dixerimus « cete grand' ouvriere, qui agit universelemant sus tout ce qui ét au monde, e sus tout ce qui tombe an la cogitacion des hommes » (p. 11), plane manifestum erit naturam, cum universa complectatur, in poetis ex-

[1] V. *Art. Poet.*, lib. I, cap. 3; *Defens.*, lib. II, cap. 3 (edit. Person, p. 108). — Cf. thesim nostram de Joachimo Bellaio, p. 139 sqq.

sistere solam, artem vero naturae partem quamdam esse. At si haec appellatio, angustioribus inclusa finibus, solum designaverit « ce qui ét imposè an nous, sans notre peine e sans notre premiere intancion », id est genuinas virtutes et quidquid homo, cum nascitur, ex naturae manibus, ut ita dicam, accepit, facile demonstrabitur haud inutilem ad haec naturae dona augenda artem esse : « L'Art androet le Poëte à puissance grande » (p. 11). Quae cum ita se res habeat, Peletarius naturam et artem aequiparare conatur : « Nature ouvre le chemin, e le montre au doe : l'Art conduit e garde de se devoyer : Nature donne la disposicion, e comme une matiere : l'Art donne l'operacion, e comme la forme. An somme, la Nature bien demande le secours e la mein artisane : e l'Art ne peùt rien sans le naturel » (p. 12). Naturae nulla doctrina : quae si absit, nihil est in homine poeticum. At, etiam favente natura, decet poetam artis regulas quasdam doceri : docebit ergo Peletarius [1], brevius tamen quam Quintilianus cujus, nec ut nobis quidem videtur injuste, moras ac digressus praeceptor noster increpat.

Est autem hujus capitis altera pars quae vehementius legentis animum retineat, quam prudens illa de naturae et artis cognatione disputatio : scilicet inopinato, quid de temporis sui poetis sentiat, Peletarius expromit. De quibus, etsi primo aperte declarat se non judicaturum esse, cum justius posteris judicandum sit, tamen, ne laudibus parcere videatur, judicat : « Quant ét de moe, je ne suis point epergneur de louanges. Je suis bien ese de dire un Seingeles dous, facond, e nè aus oreilhes des Princes : un

[1] « Nous avons ici antrepris d'anseigner la puissance de l'Art, e de donner adrece au jeune homme bien nè, par les preceptes que nous an ecrirons » (p. 12).

Ronsard, sublime, e raporteur de la Poësie ancienne : un Dubelay, elegant e ingenieus : un Seve, grave e parfond an invancions : un Pontus, net e sutil : un Demasures, propre e dilig'ant : un Baïf, studieus e fluide : un Jodele, impetueus, e plein de chaleur poëtique » (p. 13). Certe de tantis laudibus aliquid remittendum est. Videtur nobis Peletarius nimia quidem indulgentia usus esse, qui *liquidum* Pontum atque *fluidum* Baifium proclamaverit, cum tam implicatus alter sit, tam laboriosus alter. At ipsi ne laudibus parcere videamur, indulgentia quadam necesse est utamur, cum praesertim Peletario de suis aequalibus judicanti cura fuerit profitendi se velle neminem laedere, immo vero, si liceret, omnibus obsequi [1].

Quanto prudentior est, dum sententiam de Antonio Heroeto et Clemente Maroto pronuntiat ! Quorum nomina conjuncta non semel in Bellaii *Defensione* versari notum est [2], utpote poetarum qui, Pleiadis judicio, primum ad id tempus in gallica poesi locum obtinuerint. Anno autem 1555, nondum Heroetus vita defunctus erat, sed jam tertium annum Diniensis episcopus [3], in secessum quasi confugerat scribendique curam respuerat. Peletarius qui, quanquam ipsum privatim non cognoscebat, scripta tamen ejus multi faciebat, ita locutus est : « Je diroé bien, qui me lesseroèt juger, que je n'è ancores vù Poësie an Françoes mieus drecee a mon grè, ni plus santancieuse, ni la ou il i út moins a redire, que la Parfete Amie d'Antoene Heroet. Ce que je ne di point par afeccion, qui n'è ù ni familiarite aveques lui ni connoessance. Car ni l'age ni les tans de nous deus ne nous ont soufèrt

[1] « Déquez tous je ne voudroé ofanser un seul, eins complere a tous, s'il m'etoèt possible » (p. 14).

[2] *Defens.*, p. 73, 101, 104. — De novissimo loco cf. *Rev. d'hist. litt. de la France*, 1897, p. 239.

[3] *Gallia Christiana*, t. III, col. 1132, C.

antrehanter » (p. 14). Quod quidem judicium non sine favore multo : sed multo favore Heroetus non indignus [1]. Ceteroqui, ne cui mirum hoc esse videatur, Pleiadis ipsi poetae, post placatos prioris pugnae furores, non erant dedignati cum illo decidere, quippe qui non nullam in aula Regis personam gereret. Ut enim eum sibi conciliarent, praecursorem sibi callide, nec falso quidem, eum proclamaverant [2].

At Marotum, anno 1544 mortuum, Pleiadis vates ab anno 1550 silentio premere studuerant. Bellaius enim in priorem *Olivae* editionem (1549) tumulo Maroti destinatum epigramma [3], summis laudibus ornatum, inseruerat : quod ex altera (1550) prudenter sustulerat. Item Ronsardus, postquam in *Odarum* praefatione (1550) non denegaverat Marotum fuisse « seulle lumiere en ses ans de la vulgaire poësie » [4], carmen ejus de Cerizolina victoria renovare non dubitaverat, adeo ut Francisco Borbonio Angiano diceret :

L'hinne que Marot te fit
Apres l'heur de ta victoire,
Prince vainqueur, ne sufit
Pour eternizer ta gloire.
Je confesse bien qu'a l'heure
Sa plume étoit la meilleure
A desseiner simplement
Les premiers trais seulement,

[1] Cf. quod scripsit Stephanus Paschasius (*Rech. de la France*, lib. VI, cap. 5, ex editione quam anno 1611 Laurentius Sonnius emisit) : « Je fay grand compte d'Heroet en sa *Parfaite Amie* : petit œuvre, mais qui en sa petitesse surmonte les gros ouvrages de plusieurs. »

[2] V. Bellaii *Recueil de Poësie*, 1549, oda XIII (edit. Marty-Laveaux, t. I, p. 259 : cf. t. I, p. 69 et 145); Ronsardi praefat. *Odarum*, 1550 (edit. Blanchemain, t. II, p. 11).

[3] Edit. Marty-Laveaux, t. I, p. 207.

[4] Edit. Blanchemain, t. II, p. 10.

Attendant la main parfaite
D'un ouvrier ingenieus
Par qui elle seroit faite
Jusque au comble de son mieus [1].

Nec ullam postea Maroti mentionem fecit, sperans sane semet ipsum ejus famam *Pindaricarum Odarum* et *Amorum ad Cassandram* fama jam exstinxisse. Quare placet Ronsardo superbo prudentem Peletarium contraponere, qui judicii sui dat hoc testimonium : « Je diroé ancore de Marot, que nous n'avons james ù an France un Poëte de plus eureus naturel, e qu'il n'à ù autre defaut, sinon de n'avoèr voulù grand' chose, eyant pù tout ce qu'il à voulù : homme inimitable an certeines felicitez, e singulieremant an la traduccion des Seaumes, euvre pour vivre autant que l'oui e le nanni, tant pour la matiere que pour la forme, e si je doè dire einsi, tant pour l'ame que pour le cors » (p. 14). Ut apparet ex illa sententia, Peletarius, quanquam Pleiadis sincere partes amplexus, non tamen erat tam servili animo quam ut Maroti virtutes non probaret : ergo, qui magis arti studere poetas voluit, naturam tamen

[1] *La victoire de Francois de Bourbon conte d'Anguien à Cerizoles.* Hunc locum ex editione principe (1550), f° 7 v°, excerpsi. (Bibl. Nat. — Res. Ye. 4769). Posterius. carmen suum sic Ronsardus emendavit :

L'hymne qu'après tes combas
Marot fit de ta victoire,
Prince heureux, n'egala pas
Les merites de ta gloire ;
Je confesse bien qu'à l'heure
Sa plume estoit la meilleure
Pour desseigner simplement
Les premiers traits seulement ;
Mais moy, nay d'un meilleur âge,
Aux lettres industrieux,
Je veux parfaire l'ouvrage
D'un art plus laborieux.

(Edit. Blanchemain, t. II, p. 53).

felicem Cadurci poetae gratam habuit, quodque magis etiam mirum esse videbitur, cum jam in Gallia floreret antiqua oda, ad exemplar Horatii Pindarique carminum composita, non ab illa admiratione discessit quam omnes erga Maroticam *Psalmorum* translationem Maroti aequales erant professi[1] : unde maxime patet eum angustiore judicio non usum esse, neque sine exceptione Coqueretici Collegii discipulorum doctrinas secutum.

III

QUAENAM ARGUMENTA POESI CONGRUANT
QUID INTER ORATOREM ET POETAM INTERSIT

***

Non equidem multa dicam de comparatione quam inter picturam et poesim Peletarius instituit, scilicet in illis Horatianis sententiis innixus[2] :

Pictoribus atque poetis
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.
Ut pictura poesis...

Fugit eum, velut alios eodem saeculo[3], vera Flacci cogitatio. Postquam huic errori satis indulsit hancque conclusionem deduxit, quod « comme le tableau ét sus-

[1] Infra de oda scribit : « Si nous regardons les Seaumes de Clemant Marot, ce sont vrees Odes » (p. 65). — Hic quoque cf. Stephanum Paschasium de Maroti *Psalmis* judicantem (*Rech. de la France*, lib. VI, cap. 5) : « Entre ses traductions il se rendit admirable en celle des cinquante Pseaumes de David, aidé de Vatable, professeur du Roy és lettres hebraïques, et y besongna de telle main, que quiconque a voulu parachever le Psautier n'a peu attaindre à son parangon. *Ç'a esté une Venus d'Apelles.* »

[2] *Epist. ad Pisones*, v. 9 et 361.

[3] Haud aliter errat et Bartholomaeus Anulus, qui sublato nomine suo *Quintilium Horatianum* conscripsit : « Horace t'a enseigné (si tu as voulu) que la poësie est comme la peincture. Or la peincture est pour plaire et resjouir, non pour contrister. » (Edit. Person, p. 205).

ceptible de toutes sortes de protrez, einsi le Poéme de tous sugez » (p. 15), quaestionem novam aggreditur : quaenam argumenta praecipue poesi congruant. Multum in hac parte commentationis ingenii sui propria vi criticus valet.

Praetermissis minoribus argumentis [1], quinque genera sunt argumentorum quibus sit poetis utendum : scilicet amatoria, pastoralia, naturalia, bellica, historica. Sed non omnia pari studio digna.

1° Amatoria. — Deplorat Peletarius nihil aliud quam amorem aetatis suae poetas canere : « Nous n'avons ancor que l'amour an France (au moins dont je m'avise), argumant assez e trop demenè antre les notres » (p. 15). Scriptoris nostri querela, si quis poetarum operibus ab anno 1549 usque ad annum 1555 conditis studuerit, non omnino justa videbitur, cum alia quaedam ab antiquis argumenta detorserint : attamen plus amori tunc concessum est quam forsitan decuerit. Etenim, postquam Pleias iisdem Petrarcam Italicosque scriptores laudibus extulerat quibus antiquos, omnes Laurae vatem imitari properaverant ejusque etiam Italicos imitatores ardenti studio foverant. Nemo erat qui non gestiret, in sonettorum aliquo libro, rursus amorem in Lauram suam decantare : quam violentissimo, ut quidem quisque praedicabat, sed castissimo tamen affectu prosequebatur [2]. Tantus gradatim

[1] « Sans dire rien des menus argumans » (p. 15).

[2] 1549 : *Oliva* Bellaii, primum edita ; *Errores Amatorii* Ponti Thiarti. — 1550 : *Oliva* iterum edita. — 1551 : *Error. Amat.* lib. II. — 1552 : Bellaii *XIII Sonnetz de l'honneste Amour* ; Ronsardi *Amores ad Cassandram* ; Baifii *Amores ad Melinam.* — 1553 : Altarii *Amatorium Otium* [gallice *l'Amoureux Repos*], in quo Dionysia quaedam cognomine Sancta canitur ; Magnii *Amores ad Castianiram.* — 1554 : Tahurelli *Mignardises amoureuses de l'Admirée* ; Ludovici Charondae *Carmina*, quibus insunt *Amores ad Claram.* — 1555 : Ponti *Error. Amat.* lib. III ; Baifii *Amores ad Francinam* ; Peletarii *Amor Amorum.*

factus erat amoris ille furor, ut Bellaius ipse, quanquam inter primos *Olivam* suam eadem ratione celebraverat, subito contra vim istam atque copiam amatoriam insurgeret palinodiamque caneret [1]. Sed frustra : cursus irrevocabilis erat. Peletarius autem, jam aliquot mensibus antea, cum eorumdem semper amorum taederet eum curiosusque novarum rerum esset, sonetta xcvi in vulgus emiserat sub hoc titulo : « *L'Amour des Amours* » : sed, ut fatigatam materiem reficeret, amatoriis picturis miscuerat dissertationes quasdam ad scientias philosophiamque pertinentes [2]. Tamen errabat et ipse, cum amori scientiam adderet, solusque Ronsardus prudens ac sapiens erat, qui, eodem hoc anno 1555, *Amores ad Mariam* sonabat, non fictos amores, sed sinceros adeoque rebus ipsis proximos, ut interdum Epicuri de grege cantor esse videretur [3].

2° Pastoralia. — Bellaius in *Defensione* futuro poetae mandaverat ut eclogas e Theocrito Vergilioque rusticas, marinas autem e Sannazaro componeret [4]. Miratur Pele-

[1] V. carmen « *A une Dame* » (*Recueil de Poësie*, 2ᵉ edit.) : de quo consule thesim nostram de Joachimo Bellaio, p. 195 sqq. — Cf. Faguet, *Seizième siècle* (1894), p. 301.

[2] Ipse nos in prooemio monet : « Antrant an besongne, de dessein an dessein me survint un certein avis, que l'amour etoèt un suget plus capable que ne l'avoé pourgetè au commancemant. E de fet, suivant cete concepcion, me suis avanturè, d'un amour nu e simple, an fere un general e universel : telemant que par ma deduccion je demenasse un ebat amoureus, qui comprint an soe proufit e importance : fesant mon proget d'i pouvoèr apliquer choses natureles, cosmografie, astrologie, e autres choses dines des plus netes e plus graves oreilhes : antreprise certes ardue e de longue execucion » (p. 5).

[3] Carmina quibus *Amores ad Mariam* constant revera annis 1555 et 1556 edita sunt (*Continuation des Amours*, Lutetiae Parisiorum, apud Vincentium Sertenas, 1555, in-8°. — *Nouvelle continuation des Amours*, ibidem, 1556, in-8°). — Quas ob causas arte nova, qui Cassandram aliter cantaverat, Mariam celebraverit, ipse Ronsardus confitetur (edit. Blanchemain, t. I, p. 141-146 : *Elégie à son livre*).

[4] *Defens.*, p. 117 : « Chante moy d'une musette bien resonnante et d'une fluste bien jointe ces plaisantes ecclogues rustiques, à l'exemple de Thëocrit et de Virgile : marines, à l'exemple de Sennazar Gentilhomme Nëapolitain. »

tarius queriturque quod huic praecepto non obtemperatum sit : « E m'ebahi que quelcun ne s'ét au moins mis a fere Eglogues, matiere antre autres autant propre a notre langue qu'a nule autre : qui an avons les termes e les personnes tout a propos » (p. 15-16). Addit : « Marot nous à montrè, an deus ou an troes tout au plus qu'il à fetes, combien eles sont delectables. » Num memorandum est Bellaium et ipsum inter optima Maroti opuscula eclogas habuisse [1] ? Non est hic locus in illis eclogis morandi, quas inter nostrates quidam [2] excellenter reprehendit, ut allegoriae nimis indulgentes (quod et Vergilii bucolicis nonnunquam accidit), atque rustica specie res poetae proprias celebrantes. At illud observandum est, Ronsardum, cum tandem Bellaii Peletariique consilium audire decrevit, haud aliter pastoralia poemata concepisse quam ipse Marotus, ita ut ejus eclogae, quanquam subinde naturae figuram ac jucunditatem fideliter exprimunt, plerumque tamen omnibus artis nimiae vitiis inficiantur [3].

3° Naturalia. — Non existimat Peletarius ex agricultura feliciter argumentum poetam haurire posse : « Quant a l'agriculture, je croè bien qu'ele n'auroèt pas trop de grace aujourdhui, tant parce qu'ele ét assez antandue sans étre ecrite, que aussi pour n'étre capable de grand faveur anvers les Princes e Signeurs de notre tans. Einsi, ele n'ét point pour donner recreacion grande, ni méme utilite » (p. 16). Forsitan inconsideratius condemnaverit

[1] *Defens.*, p. 117 : « Que pleust aux Muses, qu'en toutes les especes de poësie que j'ay nommées, nous eussions beaucoup de telles immitations, qu'est cete ecclogue sur la naissance du filz de Monseigneur le Dauphin, *à mon gré un des meilleurs petiz ouvraiges que fist onques Marot.* » Cf. quid judicaverit de Maroti eclogis Th. Sibiletus, lib. II, cap. 8.

[2] Egger, *L'Hellénisme en France* (1869), 16ª lect., t. I, p. 374 sqq.

[3] V. praesertim Eclogam I (1565), cui titulus inscriptus est « *Bergerie* ». (Edit. Blanchemain, t. IV, p. 5).

materiam olim fere divinitus a Marone tractatam, recensque pulcherrimis ab Italico poeta Ludovico Alamanno versibus exornatam [1]. Verumtamen, non omne ex natura petitum repudiat διδακτικὸν argumentum : sed magnam esse suscepturo difficultatem notat, cum in rebus exprimendis summa diligentia opus sit : « Les fez de la Nature se peuvet aussi treter an Poësie : combien ancores que l'aprete des termes e la contreinte de la matiere, qui ét sans ornemans e figures, face que l'antreprise ét rare pour le Poëte » (p. 16). At exemplum Lucretii, qui jejunam materiam, etsi plurimum indigentia linguae laborabat, veri poetae more tractavit, magnam spem, si quis tantum opus non reformidaverit, affert pulchramque temeritatem invitat.

4° Bellica. — Peletarius bellum proclamat « le plus dine e le plus grave suget de toute la Poësie, a reson que les hautes personnes i antret, comme Roes e Princes: léquez seuz ont puissance de fere la guerre. E par ce qu'iz sont suiviz e accompagnèz de toutes sortes de g'ans, le Poëte à ocasion de parler de toutes sortes d'argumans » (p. 16).

5° Historica. — Ex contrario, « l'histoere ét le suget le moins propre pour le Poëte : d'autant que la loe historique ne reçoèt pas grans ornemans ni digressions : eins la faut suivre de droet fil, e méme la commancer par le premier bout : qui ét contre la dinite du Poéme » (p. 17).

Sed ne quis forte miretur cur tantum a bellicis historicas res Peletarius separaverit, memorare decet eum inter oratorem ac poetam quasi murum interponere.

[1] Legimus in *Defensione*, p. 132 : « De nostre tens le Seigneur Loys Aleman, en sa non moins docte que plaisante Agriculture. » — Ludovicus Alamannus, postquam in Gallorum Regis aulam confugerat, Lutetiae Parisiorum anno 1546 poema suum « *Coltivazione* » apud Robertum Stephanum ediderat.

Orator enim — id est quicumque soluta oratione utitur — argumento suo subditus, angustis finibus includitur : poetae nulla fere lex nisi libido atque animi impetus : « il peùt s'ebatre an tous g'anres d'argumans ». Jam vero, in hoc inter se differunt, quod non eadem utrique scribendi ratio, non eaedem sententiae, non verba eadem : « les moz aussi doevet étre diferans au Poëte e a l'Orateur ». Haud aliter etiamque magis expresse dicet Ronsardus : « Le style prosaïque est ennemy capital de l'eloquence poëtique [1]. » Sed jam ab anno 1555 Peletarius queritur quod non satis longe distet ab oratione soluta poetarum sermo : « Notre Poësie Françoese n'ét point ancores an sa grandeur : d'autant qu'ele ét jusque ici trop voesine du langage vulguere : voere e sommes ancores si sugèz au jugemant du peuple, que la louange du Poéme samble depandre de la procheinete du parler vulguere : chose qui argue une enfance e imperfeccion de notre Art » (p. 18). Nullum autem aliud hujus mali remedium arbitratur esse, quam si quis heroicum opus tentaverit, alterumque vocat Homerum. Sed de his infra, cum agetur de epico poemate, disseremus.

IV

DE UNIVERSA POEMATIS COMPOSITIONE

***

Satis mediocriter hoc caput, etsi de componendi arte tractat, compositum est : multa sunt in hoc inclusa quae justius repeteret sequens caput de imitatione scriptum, utputa cum disserit Peletarius (p. 21) quemadmo-

[1] 2ª praefat. *Franciadis* (edit. Blanchemain, t. III, p. 16).

dum aliena materia poeta uti debeat. Auctor vero noster, ut quidem rhetoricae magistris semper fuit usitatum, vicissim inventionem, dispositionem, elocutionem inspicit : *Aeneidis* primos quatuor libros excutit, ut monstret quomodo inventio dispositioque inter se cohaereant, Ovidii *Metamorphoseis*, ut ostendat quid sola dispositio valere possit, cum materiam in omnium manibus positam nulla inventionis arte vates augere queat. Nulla tamen apud Peletarium de his vere nova. Solum hunc locum retineo quo, Bellaii praeceptorum memor de « emendatione » [1], poetae mandat ut modo scriptum carmen aliquamdiu relinquat et obliviscatur : qualis pictor, antequam picturam absolvat, a ceteris eam secernit aliisque studet, donec, exacto tempore satis longo, tam ab opere suo alienus sit ut aequo animo judicet nec vitiis libentius indulgeat : « Il faut lesser refroedir la chaleur de notre invancion. Car nous nous plesons tousjours an cela que nous invantons. Autremant nous ne l'ecririons méme point. Puis apres longue surseance, faut retourner sus notre besongne » (p. 21-22). Haec tanta, ut Bellaio, sic Peletario, cura artis : qua nulla gravior, nulla constantior, ut jam diximus, omnibus novae disciplinae poetis cura.

V

DE IMITATIONE

***

Nemo nescit quantum in Pleiadis poetice locum obtinuerit imitatio : quae tanquam in totius doctrinae medio posita nobis esse videtur, quippe cum nullum aliud

[1] *Defens.*, lib. II, cap. 11, p. 146.

remedium sit gallicae linguae paupertatis quam si poetae nostri antiquorum Italicorumque scriptorum optimum quemque imitati fuerint. Jam alias diximus [1] illam doctrinam admodum e Quintiliano sumptam, tam absolutam in *Defensione* [2] tamque servilem exsistere, ut scriptori libertate jam privato pro imitatione vere servitutem praebeat. Diximus etiam [3] quomodo Bellaius, cum plures librum suum increparent nec sine ratione quidem [4], in epistula « ad lectorem » *Olivae* iterum editae praescripta (1550), doctrinam suam temperaverit : nam ibi declaravit, etsi brevius sane [5], non debere poetas imitationem fovere, utpote quae per se virtutem quamdam propriam haberet, sed his bene eventurum esse, si sententias illas carminibus suis infunderent, quibus olim quasi innutriti, cum bonos libros legerent, tanquam propriis, non alienis, longo commercio earum originis obliti, sine ullo memoriae labore, uterentur.

Peletarium non satis laudare possumus quod, acrius etiam quam Bellaius fecerat, doctrinam illam emendaverit. Postquam enim docuit humanam naturam ad imitandum esse propensam poetisque exemplaria sibi proponere licitum, diligenter ac prudenter hanc correctionem adhibet : « Il ne faut pas pourtant que le Poëte qui doèt exceler, soèt imitateur jure ni perpetuel. Eins se propose non seulemant de pouvoèr ajouter du sien, mes ancores de pouvoèr fere mieus an plusieurs poinz. Songe que le Ciel peùt fere un Poëte parfet : mes qu'il n'an à point

[1] V. thesim nostram de Joachimo Bellaio, p. 124 sqq.

[2] *Defens.*, lib. I, cap. 8, et lib. II, cap. 3.

[3] *Op. cit.*, p. 147-163.

[4] V. praesertim Gulielmi Altarii *Replique aux furieuses defenses de Louis Meigret*, et Bartholomaei Anuli *Quintilium Horatianum* (1550).

[5] Edit. Marty-Laveaux, t. I, p. 76. — Hic magni momenti locus citatur a Faguet, *Seizième siècle*, p. 214.

ancores fèt. Songe que ce n'ét pas la haute felicite que d'étre pareilh : qui mieus ét, songe qu'il ét plus ese d'étre superieur que d'étre egal. Car la nature des choses ne soufre james perfeccion de ressamblance. Par seule imitacion rien ne se fèt grand : c'ét le fèt d'un homme pareceus e de peu de keur, de marcher tousjours apres un autre : celui sera tousjours dernier, qui tousjours suivra » (p. 23-24). — Nil justius nec rectius[1]. Salva igitur inveniendi facultate, Peletarius indicat quomodo vates imitari debeat. « L'ofice d'un Poëte ét de donner nouveaute aus choses vielhes, autorite aus nouveles, beaute aus rudes, lumiere aus obscures, foe aus douteuses, e a toutes leur naturel, e a leur naturel toutes » (p. 24). Delecto igitur quodam exemplo, quod illi perfectae speciei quam proximum sit, poeta studeat ejus vitia vitare, virtutes aequare, immo superare. Vergilius Peletario videtur esse proponendus, utpote qui optime omnium imitatione usus sit, adeo ut exemplaria sua saepe devicerit. Inde longus exoritur excursus, in quo Maronem Homero confert criticus noster[2]. Sed de hoc infra commodius disseretur.

VI

DE TRANSLATIONIBUS

« La plus vree espece d'imitacion, c'ét de traduire » (p. 30). Interpres enim, suimet immemor, alterius non

[1] Infra quoque dicit : « E conseilhe a tous bons espriz d'étre sobres imitateurs e fins : qui ét l'un des secrez de la Poësie, tant s'an faut qu'iz i doevet prandre gloere. Car quele gloere i à il que de suivre un chemin tout fèt e tout batu? » (p. 29).

[2] Hanc Peletarius comparationem instituit « afin que le Poëte connoesse qu'un mieus fere ét possible a l'homme bien nè, e qu'il sache que c'ét qu'il doèt imiter e quoe non, e qu'il face le jugemant des deus grans Poëtes des siecles » (p. 25).

inventionem modo, sed etiam dispositionem et, quatenus lingua sua permittit, elocutionem sequitur. Unde manifestum est translationis laborem ingratum esse atque difficilem : « Traduire ét une besongne de plus grand travalh que de louange. Car si vous randèz bien e fidelemant, si n'etes vous estimè sinon avoèr retracè le premier protret : e le plus de l'honneur an demeure a l'original. Si vous exprimèz mal, le blame an chèt tout sus vous. Que si votre patron avoèt mal dit, ancore etes vous reputè homme de mauves jugemant, pour n'avoèr pas choesi bon examplere. Somme, un traducteur n'à james le nom d'auteur » (p. 30-31).

Attamen Peletarius non eos qui transferunt eodem afficit contemptu quo Bellaius : qui, cum nec Sibileto ignosceret quod « conversionem » [gallice : « version »] maximis laudibus ornavisset [1], nec, ut diligentius rem explanemus, omnibus Maroticis quod magna ex parte transferrent, in *Defensione* declaraverat translationes injuriae proditionique scriptoribus esse quorum transferebantur opera, nedum illustriorem linguam nostram facerent : ac praesertim eos persecutus erat qui non dubitabant sanctos divinosque poetas (proh nefas !) interpretari : tantamque ex tanto sacrilegio senserat indignationem ut exclamaret : « O Apolon ! ô Muses ! prophaner ainsi les sacrées reliques de l'Antiquité ! [2] » Non tamen ipse dubitaverat, tribus annis post (1552), quartum *Aeneidis* librum aliaque fragmenta convertere : quam sententiarum commutationem in epistula quadam ad amicum suum Janum Morellum praescripta arrogantius excusaverat [3].

[1] V. Sibileti *Poeticam Artem*, lib. II, cap. 14.
[2] *Defens.*, lib. I, cap. 5 et 6. — De hoc pluribus verbis diximus in thesi nostra de Joachimo Bellaio, p. 120 sqq.
[3] Edit. Marty-Laveaux, t. I, p. 336-337. — Cf. thesim nostram, p. 252 sqq.

Magis Peletarius sui compos, secum magis concors. Cum primum se litteris dederat, Flacci *Poeticam Artem*, ut vidimus, transtulerat, libroque quem inscriptum « *Œuvres Poëtiques* » anno 1547 in vulgus emiserat, inserebantur in gallicum sermonem e graeco vel latino conversa plura, scilicet *Odysseae* duo primi libri, *Georgicon* primus liber, Martialis una epistula, Horatii tres odae, Petrarcae denique duodecim sonetta. Nihil ergo mirum est quod in *Arte Poetica* sua gratas habuerit translationes. Non poterat quin meminisset quantum de patria translatores essent meriti, quippe quorum opera, regnantibus Ludovico XII° Franciscoque I°, Gallia jam optimum quidque gustare coepisset. Jam vero, contra Bellaium arbitratur translationibus in posterum gallicam linguam multum augeri posse : « Davantage, les traduccions, quand eles sont bien fetes, peuvet beaucoup anrichir une langue. Car le traducteur pourra fere françoese une bele locucion latine ou greque, e aporter an sa cite, avec le poes des santances, la majeste des clauses e elegances de la langue etrangere : deus poinz bien favorables, par ce qu'iz aprochet des generales concepcions » (p. 31). Denique, translationes Peletarius habet pro operibus non quidem sine arte compositis [1], quibus, etsi non virtus inventionis, haud nulla tamen virtus sit, ita ut, si quis opus ejusmodi non mediocriter sit exsecutus, inde clarior evadat, « d'autant qu'une bonne traduccion vaut trop mieus qu'une mauvese invancion » (p. 31).

Quemadmodum autem transferendum est ? — Audi Peletarium : « Les traduccions de mot a mot n'ont pas grace : non qu'eles soèt contre la loe de traduccion : mes seulemant pour reson que deus langues ne sont james uniformes

[1] « Eet donq les traduccions place an notre Art, puis qu'eles se font par art » (p. 32).

en frases. Les concepcions sont communes aus antandemans de tous hommes : mes les moz e manieres de parler sont particuliers aus nacions » (p. 33). Nihilominus, translator, ut debet « garder la propriete e le naïf de la langue an laquele il tranlate », sic, quoties ambae linguae inter se conveniunt, debet etiam « ne rien perdre des locucions, ni mémes de la privaute des moz de l'auteur » : unde patet eum qui transfert quam diligentissimum atque fidelissimum scriptoris sui interpretem esse debere : « Car un traducteur, commant sauroèt il mieus fere son devoèr, sinon an aprochant tousjours le plus pres qu'il seroèt possible de l'auteur auquel il ét suget ? » (p. 34). Multum in his judicium, multa subtilitas : nec parvum Peletario meritum quod de transferendi modo doctrinam docuerit quae sola nunc justa sanaque nobis esse videatur [1].

VII

PATRIO SERMONE SCRIBENDUM ESSE

***

Doctissimus quidam hujus temporis, in tam nova quam erudita commentatione [2], nuper ostendit quantum inter latinam gallicamque linguam XVI° saeculo certamen fuerit et quomodo plurimi grammatici litteratique tum luctati sint, ut vernaculum sermonem acriter defenderent.

[1] Ipse Peletarius, nec mediocriter quidem, doctrina sua usus est. Vide quam fecit Horatii *Artis Poeticae* translationem (Bibl. Nat.— Res. pYc. 612) : quam inter nostrates quidam [Hauréau] recte judicavit « facile et naïve, ferme sans raideur, concise sans obscurité » (*Hist. litt. du Maine*, t. IV, p. 173). — Jam antea Stephanus Doletus aliquot sententias apud Peletarium expressas attigerat : vide librum ejus gallice conscriptum cui titulus hic : « *La maniere de bien traduire d'une langue en autre* » (Lugduni, 1840).

[2] F. Brunot, *La langue au* XVIe *siècle*, apud Petit de Julleville, *Histoire de la langue et de la littérature française*, t. III [XVIe *siècle*], 1897, p. 640-718.

Quorum Peletarius magna pars : illud patriae linguae studium mature eum ceperat, cum, anno 1544, *Epistulae ad Pisones* e latino conversae — quod primum opus fuisse constat — praescripsisset prooemium « a tresvertueux et noble homme Cretofle Perot, Ecuier, Seneschal du Maine » dedicatum, in quo vehementer eos increparet qui patrium sermonem contemnerent, illumque postularet non minoris quam antiquas linguas aestimari. Quoniam de hoc opusculo jam alias disseruimus [1], quid plura ? Sed forsitan quibusdam gratum sit ex toto relatum illud carmen quod *Operibus Poeticis* [2] (1547) inclusum eamdemque sententiam repetens, missum erat « A un Poëte qui n'escrivoit qu'en Latin » :

J'escri en langue maternelle,
Et tasche a la mettre en valeur :
Affin de la rendre eternelle,
Comme les vieux ont fait la leur :
Et soutien que c'est grand malheur
Que son propre bien mespriser
Pour l'autruy tant favoriser.

Si les Grecz sont si fort fameux,
Si les Latins sont aussi telz,
Pourquoy ne faisons nous comme eux,
Pour estre comme eux immortelz ?
Toy qui si fort exercé t'es,
Et qui en Latin escriz tant,
Qu'es tu sinon qu'un imitant ?

[1] V. thesim nostram de Joachimo Bellaio, p. 33 sqq.

[2] *Les Œuvres Poëtiques de Iacques Peletier du Mans. Moins et meilleur.* F° 82 v°. Lutetiae Parisiorum, apud Michaelem Vescosanum, 1547, in-8°. (Bibl Nat. — Res. Y^e. 1853).

Croiz tu que ton Poeme approche
De ce que Virgile escrivoit ?
Certes non pas (tout sans reproche)
Du moindre qui du temps vivoit.
— Mais le François est seul qui voit
Ce que j'escri : et si demeure
En la France, or j'ay peur qu'il meure. —

Je respons, quoy que tu escrives
Pour l'envoyer en lointains lieux,
Sans ce que les tiens tu en prives,
On pense tousjours que des vieux
Le style vaut encores mieux :
Puis nostre langue n'est si lourde,
Que bien hault elle ne se sourde.

Long temps y a qu'elle est congnue
En Italie et en Espagne.
Et est desja la bien venue
En Angleterre et Allemaigne :
Puis si en l'honneur on se baigne,
Mieux vault estre icy des meilleurs,
Que des mediocres ailleurs.

Or pource qu'es Latins et Grecz
Les ars sont reduiz et compris,
Avec les naturelz segretz,
C'est bien raison qu'ilz soient appris :
Mais comme d'un riche pourpris,
Tout le meilleur il en faut prendre,
Pour en nostre langue le rendre :

La ou tout peut estre traitté,
Pourveu que bien tu te disposes :
S'il y a de la pauvreté,
Qui garde que tu ne composes
Nouveaux motz aux nouvelles choses ?
Si mesme a l'exemple te mires
De ceulx la que tant tu admires ?

Errat, si quis putat scriptores omnes, — etiam cum Pleiadis poetae pro lege habuerunt unice patrium sermonem usurpare, tantum a Bellaio, post multos alios, in notissimo suo libello praedicatum, — gallicum, latino sermone deserto, fovisse. Haud ita se res habuit : hoc est argumento quod Ronsardo, suam *Artem Poeticam* anno 1565 scribenti, non inutile visum est quaestionem, nondum disputationibus vacuam, iterum attingere [1], cumque posterius *Franciadi* secundam praefationem adumbraret [2], eamdem quaestionem copiosius explicavit, vehementer eos allocutus quos « *latineurs* » ac « *grécaniseurs* » compellabat. Quinam autem essent, scimus : nam eorum nomina declarat simulque dementiam deplorat : « O quantesfois ay-je souhaité que les divines testes et sacrées aux Muses de Josephe Scaliger, Daurat, Pimpont, d'Emery, Florent Chrestien, Passerat, voulussent employer quelques heures à si honorable labeur ! » Atque pluribus annis

[1] Edit. Blanchemain, t. VII, p. 323 : « Heureux et plus qu'heureux ceux qui cultivent leur propre terre, sans se travailler aprés une estrangere, de laquelle on ne peut retirer que peine ingrate et malheureuse, pour toute recompense et honneur ! Quiconques furent les premiers qui oserent abandonner la langue des Anciens pour honorer celle de leur païs, ils furent veritablement bons enfans, et non ingrats citoyens, et dignes d'estre couronnez sur une statue publique, et que d'âge en âge on face une perpetuelle memoire d'eux et de leurs vertus. »

[2] Edit. Blanchemain, t. III, p. 34-36. — Haec praefatio, quam ne praefationem quidem, sed praefationis rudimentum rectius dicas, post Ronsardum mortuum, anno 1587 edita fuit. Quam admodum senex poeta scripserat.

antea, nominare quoque potuisset Adrianum Turnebum et Petrum Gallandium et Marcum Antonium Muretum et Georgium Buchananum et Michaelem Hospitalem. Ergo non dubium est Latinam Musam, quanquam permulta jam gallico sermone Pleias opera scripserat, magno tamen honore etiam tunc affici. Quare nemini mirum esse videbitur quod Peletarius, anno 1555, *Arti Poeticae* suae caput unum inseruerit, ut poetas ad colendam « vulgarem » linguam et ipse cohortaretur.

Haec ejus cohortatio nec minus ardens est prioribus suis actionibus, nec minus callida : « ... Il ét certein qu'une langue aquisitive n'antre james si avant an l'antandemant comme la native. L'Art bien imite la Nature tant qu'il peùt : mes il ne l'ateint james. Puis les langues, eins toutes choses du monde, n'ont eles pas leurs siecles ? Que voulons-nous ? anrichir la Latinite ? mes commant le ferons-nous, quand ceus qui la suçoét de la nourrice, i ont fèt leur dernier efort ? C'ét bien ici que nous nous montrons de petit courage, qui emons mieus suivre tousjours les derniers, que nous metre an un rang auquel nous puissions étre premiers. Nous tenons notre langue esclave nous mémes : nous nous montrons etrangers an notre propre païs. Quele sorte de nacion sommes nous, de parler eternelemant par la bouche d'autrui ? Le Ciel Françoes produit il de si pövres espriz, qu'iz ne se puisset servir de leur langue ? ou plus tót, produit il de si fecons espriz an concepcions, e si indispos e necessiteus an parler ? Ne voudrons nous james exceler ? e si nous le voulons, quele folie étce de panser exceler au metier d'autrui, e ne se vouloèr eider du sien ? serons nous perpetuéz imitateurs ? mes si nous le devons tousjours étre, a l'example de qui nous reglons nous, quand

nous ecrivons an autre langue qu'an la notre ? Les Grèz n'ont pas ecrit an Egipcien : les Latins n'ont pas ecrit an Arabic... » (p. 35).

An ideo, Peletarii quidem sententia, gallicum vatem necesse est antiqui sermonis utriusque ignarum permanere ? Nequaquam : immo, multum hoc utroque sermone cognito proficiet, ut patrium augeat illustretque : « Se contante notre Poëte d'avoèr connoessance des langues externes, e connoesse a quoe il les à aprises : qui ét pour an tirer les bonnes choses, e les amployer an son langage naturel » (p. 36). Periculosa tamen haec a Peletario concessa licentia : « Que s'il veùt s'excercer a ecrire an autre langue que la sienne, le face de tele sorte, que ce soèt comme par passetans, ou bien par un labeur accessoere. » Nam otii consumendi causa Bellaius, Romae tanquam exsul, latina carmina coepit condere, cum opportunius et voluptatem nostram et ipsius famam auxissent aliquot sonetta vel *Antiquitatibus Romae* vel *Tristibus* adjuncta.

VIII

DE VERBIS

***

Magna, si quis scribere studeat ac praecipue poetae nomen obtinere cupiat, quaestio est, quemadmodum verbis utendum sit : nec mirum quod multum ac diu Peletarius in hac quaestione sit immoratus. Qui subtiliter verba comparat sex vocibus quibus utitur musicus, aut decem numeris quibus arithmeticus, aut etiam lapidibus quibus structor. Omnibus eadem materia : sed

ea aliis alii callidius utuntur. Sic de verbis, quae scriptor hic, ingenio majore praeditus et industria, sollertius quam ille molitur : utputa Vergilius, quanquam eodem utitur sermone quo Lucanus atque Claudianus, eos tamen arte sua scribendi superat [1]. Ergo, verborum « electione » bonus scriptor praecipue valet : sed de verbis eligendis certa praecepta dare difficillimum est : « E de cete partie n'ét bonnemant possible de donner anseignemant, par ce qu'ele git an la felicite e au jugemant du Poëte » (p. 37). Attamen explanandum est quod ad verborum inventionem [gallice : « innovation »] attinet.

Jam Bellaius, in singulari quodam *Defensionis* capite [2], futuro poetae duos patrii sermonis ditandi modos statuerat, ex Horatio quidem assumptos : scilicet primum verba nova fingere, dein obsoleta ab oblivione revocare. Peletarius, utpote quem grammaticis rebus studentem haec quaestio maxime sollicitaret, longius de hac re disseruit. Notatione dignum est eum non, ut fecerat Bellaius, ab ipsis vocabulis sententiarum conformationes loquendique modos, in quibus magis *stylus* quam *lingua* consistit, separavisse [3]. Quid autem de gallico sermone ditando criticus noster senserit, ipsius ratione servata jam expromemus.

Legenti primum illud occurrit Peletarium Bellaio plus ausum fuisse. Bellaius enim, dum poetam verba nova

[1] « Voyons nous pas Virgile, lequel, combien qu'il n'use point d'autres moz que Lukein ou Claudian ou autre quelconque, toutefoes les apliquant d'une façon plus propre, plus gracieuse e plus convenable qu'eus, fèt aparoèr son euvre d'une certeine forme e d'une certeine majeste, qui les fèt discerner d'ansamble, comme une lune antre les etoeles » (p. 37).

[2] *Defens.*, lib. II, cap. 6, p. 125 : « D'inventer des motz, et quelques autres choses que doit observer le poëte francoys. » Cf. thesim nostram de Joachimo Bellaio, p. 133 sqq.

[3] Bellaius sententiarum his conformationibus singulare caput consecravit (lib. II, cap. 9, p 138 : « Observation de quelques manieres de parler francoyses »).

fingere jubet, parce jubet [1]. At Peletario minor est verecundia, nec ulla correctione praeceptum temperat : « Quant ét de l'innovacion des moz, faudra aviser si notre langue an aura faute : *e an tel cas, ne se faut feindre d'an former de nouveaus* » (p. 37). Ipse tamen supra, cum de translationibus disputaret, animadverterat saepius ei qui transfert esse difficile verba nova in patrium sermonem introducere : « An cas des particularitez, le traducteur, a mon avis, doèt étre un peu creintif : comme an nouveaus moz, léquez sont si connoessables e suspez. Un traducteur, s'il n'à fèt voèr alheurs quelque chose du sien, n'à pas cete faveur des lecteurs an cas de moz, combien que soèt celui qui plus an à afere. E pour cela ét moins estimè l'ofice de traduire. Vrei ét que quand son auteur sera excelant (car l'homme prudant se garde bien d'an traduire d'autres) il lui sera permis d'user de moz tous neuz, pourvu qu'il soèt certein qu'il n'i an èt point d'autres : e lui sera une louange » (p. 31-32). At Peletarius videtur plus poetae quam translatori concessisse.

1° Mandat primum ut ex latino fonte verba quaedam hauriantur : « Un mot bien deduit du Latin aura bonne grace, an lui donnant la teinture Françoese » (p. 37). Exempli causa, saepe latina infinitiva in *ire* desinentia fieri gallica poterunt : sic ex *ambire* deducetur *ambir*, ex *vagire vagir*, etc. Illud autem notandum quod ex his duobus verbis alterum in linguam nostram introductum est [2]. — Item Peletarius postulat ut, secundum Claudium

[1] *Defens.*, p. 127-129 : « Ne crains donques, Poëte futur, d'innover quelques termes, en un long poëme principalement, avecques modestie toutesfois, analogie, et jugement de l'oreille .... Tu doibz pourtant user en cela de jugement et discretion .... Quand au reste, use de motz purement francoys. »

[2] Littré, secundum Lacurne, exemplum unum verbi *vagir* XVI° saeculo scripti memorat : « Je retournasse en enfance et recommençasse à *vagir* et crier au berceau. » (*L'amant ressuscité*).

Sessellium, usurpentur vocabula *regnicoles* [1] et *repulse*, etsi, quod ad novissimum attinet, jam alia figura *repousse* [2] utimur : at hoc modo (quod Peletario, sicut et omnibus Pleiadis scriptoribus, maxime placet), a soluta oratione poeticus sermo commodius sejungetur : « L'un sera oratoere e l'autre poëtique » (p. 38). — Verba autem illa nova, quemadmodum in linguam nostram insinuanda sint, ne forte peregrinum sonent, Peletarius haud multum sollicitus est : « Le precepte general, an cas d'innovacion de moz, ét que nous eyons l'astuce de les cacher parmi les usitez, de sorte qu'on ne s'aperçoeve point qu'iz soét nouveaus. » Forsitan plus aequo facilem modum esse credat, eademque sibi somnia fingat quae postea Fenelo, dum ad Academicos de sermone nostro verbis novis augendo disserit [3].

2° Peletarius verba componere jubet qualia sunt « Atlas *porteciel* », « l'Air *portenue* », « l'Aquilon *portefroid* », etc. Enimvero potissimum talia verba componendo Pleias gal-

[1] Verbum *régnicole* (id est : qui regnum colit) xvi° saeculo reperias, auctore Littré, apud Vincentium Carloix et Agrippam d'Aubigné. Haec exempla duo a d'Aubigné petita sunt (edit. Réaume et de Caussade) : 1° « Le plus de voix emportoit de mettre es mains des *regnicoles* le moins d'armes que faire se pourroit. » (*Lettres et Memoires d'Estat*, t. I, p. 219). 2° « Ce que les estrangers et *regnicoles* regardoyent avec horreur .... » (*Meditations sur les Pseaumes*, t. II, p. 127).

[2] Auctore Godefroy, verbo *repulse* utuntur Georgius Castellanus et Joannes Molinetus : hic autem etiam *repoulse* adhibet. Equidem figuram *repulse* in xvi[i] saeculi scriptorum operibus nunquam inveni : sed verbum *repousse* apud Jodellium legitur :

> Quoy ? pourrois-je oublier que par roide secousse
> Pour moy seule il souffrit des Parthes la *repousse* ?
> *Cleopatre*, act. I.
> (Edit. Marty-Laveaux, t. I, p. 102).
>
> En assaut, en *repousse*, en longue et dure peine.
> *Les discours de Jules Cesar*.
> (Edit. Marty-Laveaux, t. II, p. 272).

Figura *repousse* usque ad xvi[i] saeculi finem permansit: testis Valkelinus de Fraxineto, cujus ex operibus exemplum unum Godefroy ducit.

[3] Cap III, *Projet d'enrichir la langue*, edit. A. Cahen, 1899, p. 8.

licam linguam ditare curavit [1]. Bellaius autem, in epistula quam Jano Morello misit (1552), se praedicabat finxisse « quelques mots composez, comme *pié-sonnant, porte-lois, porte-ciel* [2] » ; multaque alia occurrent, si poetarum ejus temporis opera tantum evolveris [3].

3° Adjectiva nominum more jam omnia recepta Peletarius esse testatur, ut *le verd* pro *la verdure, le gay* pro *la gayeté* [4]. Sed longius illud dicendi genus proferri velit : « E ne feindrè méme de dire, *Je n'an sè autre*, pour, *Je n'an sè autre chose* » (p. 39).

[1] V. Marty-Laveaux, *Langue de la Pléiade*, t. II, p. 253.

[2] Edit. Marty-Laveaux, t. I, p. 337. — Cf. Henrici Stephani testimonium ab eodem Marty-Laveaux relatum, t. I, p. 504, n. 204.

[3] Ex tribus compositis verbis a Peletario citatis, primum (*porte ciel*) Bellaius finxit, ut ipse professus est, et in *Aeneidis* IV[i] libri translatione (1552) adhibuit :

Une gent More aux derniers lieux se tient,
La ou Atlas le *porte-ciel* soustient
L'ardent esseul ....
(Edit. Marty-Laveaux, t. I, p. 363).

Verbum idem usurpavit Ronsardus, in *Elegia ad Muretum* quae cum *Odarum* V° libro (p. 150) anno 1553 edita est (Bibl. Nat. — Res. Y[e]. 4770) :

Hé ! qu'est-il rien que ce garçon ne brule ?
Ce *porte-ciel*, ce tû-geans Hercule
Le sentit bien ....
(Edit. Blanchemain, t. I, p. 127).

et iterum, anno 1555, in *Hymno de Astris*, ad Mellinum Sangelasium dedicato (Bibl. Nat. — Res. Y[e]. 489) :

Il me plaist en vivant de voir sous moy les nues,
Et presser de mes pas les espaules chenues
Du Maure *porte-ciel* ....
(Edit. Blanchemain, t. V, p. 276).

Secundum autem vocabulum (*porte-nue*) in sonetto XL° *Tristium* [gallice : *Regrets*] invenitur : « l'Apennin *porte-nue* ». Marty-Laveaux animadvertit (*Langue de la Pléiade*, t. II, p. 318) hoc verbo Ronsardum in primis operum suorum editionibus usum esse (« un Atlas *porte-nue* »), sed hoc ex editione quam anno 1584 publicavit detraxisse.

Denique, tertium compositum verbum (*porte-froid*) nusquam apud Pleiadis poetas reperi.

[4] Cf. *Defens.*, lib. II, cap. 9, p. 140 : « Use donques hardiment .... de l'adjectif substantivé, comme *le liquide des eaux*, *le vuyde de l'air*, *le fraiz des umbres*, *l'epes des forestz*, *l'enroué des cimballes*, pourveu que telle maniere de parler adjoute quelque grace et vehemence : et non pas, *le chault du feu*, *le froid de la glace*, *le dur du fer*, et leurs semblables. »

4° Laudat etiam, ut vere poetica, adjectiva pro adverbiis adhibita : sic « il va *frequant* » pro « *frequantemant* », « il marche *magnifique* » pro « *magnifiquemant* ». Sed hac de re, sicut de proxima, nihil aliud quam *Defensionis* praecepta confirmat [1].

5° At contra, novum illud concipit, scilicet comparativa ac superlativa latino more usurpare : « Nous avons ù de nouveau *grandissime, belissime* : dont ne ferè dificulte d'user. E ancores, comme j'è dit quelquefoes an joyeus devis, je voudroè que quelque hardi invanteur út fèt venir *grandieur* e *belieur*, pour *plus grand* e *plus beau*, afin que nous ussions positiz, comparatiz e superlatiz » (p. 39). Ex quo manifestum est falso multos etiam nunc, auctore Stephano Paschasio [2], Baifium accusare quod ridicule voluerit in linguam nostram Latinorum comparativa superlativaque transferre. Jam satis multa Baifio vitia : caveamus ne temere etiam illud addamus. Nimirum erant in pristino sermone a populo formata comparativa quaedam ac superlativa (*greigneur, meilleur, moindre, pire* ; — *grandisme, hautisme, saintisme*), quorum aliquot adhuc supersunt. Sed Peletarius volebat hunc morem latius patere, doctosque viros latinas verborum figuras, quibus indicarentur comparativi gradus,

[1] *Defens.*, ibidem : « Des noms pour les adverbes, comme *ilz combattent obstinez*, pour *obstinéement* : *il vole leger*, pour *legerement*, et mil' autres manieres de parler, que tu pouras mieux observer par frequente et curieuse lecture, que je ne te les scauroy' dire. »

[2] V. Steph. Paschasii *Epistulas*, lib. XXII, epist. 2. — Baifio Paschasius Nicolaum Denisotum, « Alcinoum comitem », adjungit : de quo quod asserit Paschasius, an verum sit, mihi quidem incertum est; quod autem ad Baifium attinet, non dubium est eum inventionem illam pro lusu habuisse. Cf. enim illud Bellaii sonettum :

> Bravime esprit sur tous excellentime,
> . . . .
> Docte, doctieur et doctime Baïf.

et Baifii responsum, *Gosserie contre le sonnet de J. du Bellay, des comparatifs.*

audacter experiri. Italorum autem cultus effectu, plures annos in Mediceorum aula mos fuit superlativa illa adhibendi quibus libenter utuntur, ut inter se consalutent, qui paeninsulam incolunt (*excellentissime, illustrissime, savantissime, sérénissime, révérendissime*, etc.) [1]. Sed ille putidus sermo non magnam apud scriptores gratiam obtinuit, vixque Peletarius, quam alios ut usurparent hortabatur, libertatem ipse usurpavit [2].

6° Secundum vero Bellaium, memor et ipse Flacci sententiae, *Multa renascentur quae jam cecidere*, monet ut obsoleta quaedam vocabula, « pourvu que nous i soyons rares », in usum revocentur : « einsi que Virgile, qui à si bonne grace an son *olli*, e qui dit quelquefoes *aulaï*, *fuat*, e d'autres » [3] (p. 39). Subnectit aptius haec convenire, si quem forte poeta loquentem inducat qui prisco Galliae tempore vixerit. Exempla denique proponit *adherdre* [4]

[1] Cf. Henrici Stephani testimonium : « Il vous faudra prendre garde de dire plustost *bellissime* que *tresbeau*. » (*Dial. nouv. lang. franç. ital.*, edit. Ristelhuber, t. I, p. 285).

[2] In *Arte Poetica* legitur : « Comme dit le Poëte .... par deus *excelantissimes* vers » (p. 76). Et alias : « Il i à *grandissime* dificulte a prandre la possession de sa renommee » (p. 92). — Haud supervacuum esse videtur animadvertere verbum *grandissime* jam pro *grandisme* apud scriptores medii aevi quosdam reperiri (v. Godefroy, *Complément*, verbo *grandissime*) et usque ad XVII^{um} saeculum perstitisse, quo tempore id usurparunt Nicolaus Poussin et Domina de Sevigné (v. Littré ; cf. Hatzfeld et Darmesteter, *Dict. gén. de la lang. franç.*). Quod in *Dictionarium* suum anno 1762 admisit Academia.

[3] Cf. *Defens.*, lib. II, cap. 6, p. 129. Bellaius jubet poetam « quelquefois usurper, et quasi comme enchasser, ainsi qu'une pierre precieuse et rare, quelques motz antiques en son poëme, à l'exemple de Virgile, qui a usé de ce mot *olli* pour *illi*, *aulaï* pour *aulae*, et autres ». — Cf. thesim nostram de Joachimo Bellaio, p. 135.

[4] Auctor est Peletario Joannes de Meung, ut vetus illud verbum *adherdre* commendet. Figurarum *aerdre* et *aherdre* et *adherdre* multa leguntur apud Godefroy exempla, a multis scriptoribus petita. Dixit in *Mimis* Baifius :

L'apuy s'abat de trop s'*aherdre*.
(Edit. Marty-Laveaux, t. V, p. 95).

Et antea Ronsardus in *Hyla* poemate :

De ses cheveux si *aherd* au rocher
Que le pescheur ne l'en peut arracher.
(Edit. Blanchemain, t. VI, p. 137).

pro *adhérer*, *héberger* [1] pro *loger*, *ot* [2] pro *armée*.

7° Postremo vocabula, quae variis olim Galliae dialectis propria jampridem ex legitimo dicendi more exciderant, in communem usum institui jubet. Hac de re nihil in *Defensione* : sed Ronsardus, in brevi prooemio *Odarum* principi editioni praescripto (1550), cui gallice titulus « *Suravertissement au Lecteur* » [3], jam in eo gloriabatur quod in poeticam orationem introduxisset verba quaedam e provinciarum dialectis detorta : « Tant s'en faut que je refuze les vocables Picards, Angevins, Tourangeaus, Mansseaus, lors qu'ils expriment un mot qui defaut en nostre François, que si j'avoi parlé le naïf dialecte de Vandomois, je ne m'estimeroi bani pour cela d'eloquence des Muses, imitateur de tous les poëtes Grecs, qui ont ordinerement écrit en leurs livres le propre langage de leurs nations [4]. » Enimvero, postulabat ut illis vocabulis Vindocini tritis, *charlit, nuaus, uller,* Gallica civitas daretur. Cujus exemplo tractus poetis Peletarius mandat ut ex omnibus dialectis

[1] Verbum *héberger* et ex eo derivata majores nostri frequenter usurparunt : v. Godefroy, verbis *herbergage, herberge, herbergement, herbergeor, herbergerie, herbergier, herbergison.* — Vocabulum *héberger*, quo Rabelaesus atque Marotus usi sunt (v. Littré), non a Marty-Laveaux citatum est ut a Pleiadis poetis adhibitum. Etiam nunc usitatum est.

[2] Nemo nescit illud verbum, quod tum *ost*, tum *ot*, tum etiam *host* scripserunt, antiquitus in lingua nostra tritum ac celebratum esse, nec omnino a XVI[i] saeculi scriptoribus derelictum (v. Godefroy, Littré, Marty-Laveaux, *Langue de la Pléiade*, t. I, p. 317). Non illud retinuimus : attamen apud La Fontaine haud semel reperitur.

[3] Hoc singulare prooemium, quod primum ab abbate L. Froger signatum est (*Les premières poésies de Ronsard*, *Odes et Sonnets*, p. 30-31. Mamerciis, apud Fleury et Dangin, 1892, in-8°), in Ronsardi operum editionem Marty-Laveaux transcripsit, t. I, p. CXVI. Non hoc apud Blanchemain invenias.

[4] Cf. quae posterius idem Ronsardus in *Arte Poetica* sua (1565) praecepit : « Tu sçauras dextrement choisir et approprier à ton œuvre les mots plus significatifs des dialectes de nostre France, quand mesmement tu n'en auras point de si bons ny de si propres en ta nation ; et ne se faut soucier si les vocables sont *Gascons, Poictevins, Normans, Manceaux, Lionnois*, ou d'autres païs, pourveu qu'ils soient bons et que proprement ils signifient ce que tu veux dire. » (Edit. Blanchemain, t. VII, p. 321).

verba rapiant, quibus communem linguam augeant. Sic a Cenomanis, Cenomanus ipse, vocabula sumi velit *arrocher*, id est aliquid lapide vel baculo petere, et *encrucher*[1], id est aliquid intra arboris ramos implicare ; a Pictavis, *avier*[2], scilicet incendere, et *uces*, scilicet supercilia ; a Lugdunensibus, *vifplant*, scilicet alba spina. Nec septentrionales tantum dialectos Peletarius fovet, sed etiam Provincialia Vasconicaque vocabula repetit, ut *estruguer*, quod valet gratulari, vel *cloque*, quod valet feta gallina, vel *companage*[3], quod valet opsonium ; quare vehementer Eutychum Deperium laudat, quod non dubitaverit multa Provincialia verba, proprio habitu servato, carmini suo « de vindemiis » inserere[4]. — Quod si quis objiciat sic undique collecta vocabula multum inter se discrepare nec unum sonum reddere, Peletarius non haeret quid respondeat : « Tout ét Françoes, puis qu'iz sont du païs du Roe »

[1] *Encrucher*, alias *encruchier* et *encrochier*, a Godefroy refertur qui, inter alia exempla, Petri Belonis, Cenomani scriptoris, sententiam illam commemorat, ex libro « de natura avium » (1555) excerptam : « Un ramier bastist son nid mal proprement, non trop mal aysé à trouver : car communement il ne l'*encruche* gueres hault. » (*Nat. des Oys.*, VI, 19, edit. 1555). — Remigius Bellaqueus semel usus est verbo *se crucher* pro *se percher* (edit. Marty-Laveaux, t. II, p. 181).

[2] Auctore Godefroy, verbum *avier* (hoc est vitam producere) usurpant Joannes Bochetus et Jacobus Tahurellus et Joannes Perusius, quos scriptores omnibus constat aut Pictavii natos aut saltem aliquamdiu moratos esse. Idem Godefroy citat *avier* semel pro *aviver* (hoc est accendere) in XIII[i] saeculi « sermone » quodam adhibitum : « Si cum vecz que li favres cum il a sa brese ardant davant sei, si prent son giteor, si l'arose, non pas por esteindre, mas por *avier* et por meilz faire arder. » (Ex mscr. 124 Pictavii servato, f° 18 r°). — Apud autem Baifium, de amore loquentem, in IV° libro *Amorum ad Francinam*, legimus :

Et comme du bois mesme on voit naitre les vers
Qui le rongent dedans, ainsi dans nous *s'avie*
Contre nous ce felon, inhumain et pervers.
(Edit. Marty-Laveaux, t. I, p. 242).

[3] Godefroy citat *companage*, sed tantum ut alteram verbi *compaignage*, scilicet *compagnie*, figuram.

[4] *Œuvres françoises de Bonav. des Périers*, edit. Lacour, Lutetiae Parisiorum, apud P. Jannet, 1856, t. I, p. 92 : « *Chant de Vendanges* ».

(p. 40). Utque timidos vincat, illud addit : « C'ét un des plus insines moyens d'acroétre notre langue : *e ét celui par lequel les Gréz se sont fèz si plantureurs.* »

Ergo Peletarium jam manifestum est patrii sermonis augere copiam omni modo studuisse, pluraque tentavisse quam ipse Bellaius : solam propaginem [gallice : « provignement »] omisit, quam Ronsardus postea tam diligenter, primum in *Arte Poetica* sua, dein in *Franciadis* altera praefatione, definivit [1].

Num vero dicam Peletario fuisse desiderio quod lingua nostra declinationis usum ignoraret, antiquarumque linguarum in disponendis verbis libertatem non usurparet? Vanum illud desiderium, frustraque Peletarius eum vocabat qui, etiam prudenter, huic inopiae remedium afferret. Hanc solam quam capiti « de verborum electione » conclusionem imposuit referam, ut denuo clarius et planius appareat quanta scriptoris nostri audacia, ne dicam temeritatem, fuerit : « Ne soyons donq plus si scrupuleus, quant aus choes des moz. Trouvons les, e les metons an service nouveau pour les nouveles choses. Car sans point de doute la chose la plus deplesante aus hommes erudiz, ét de se voèr abondans an invancions, e defectueus an parler » (p. 41).

IX

DE POESIS ORNAMENTIS

⁂

Peletarius, cum de poesis ornatu disserit, omnes recenset formasque figurasque quibus illustranda sit

[1] Edit. Blanchemain, t. VII, p. 335-336, et t. III, p. 33.

poetica dictio. *Claritatem,* utpote qui Gallus sit mathematicisque studuerit, in primis ponit : « La premiere e plus dine vertu du Poéme ét la clerte » (p. 41). Accedat tamen *majestas* quaedam et *gravitas* necesse est, ne poesis nil aliud sit quam vulgaris oratio rhythmis accommodata. Has generatim virtutes praestare, ut pulchrum sit, omne poema debet. Sed et singularia sunt ornamenta, quibus affici potest : quae Peletarius non modo diligentissime, sed etiam multis additis et vere poeticis imaginibus [1], separatim exsequitur.

Primum *fabulae* sunt, quas tantum delibare decet, non exhaurire, ita ut in legentis memoria quasi sponte expergiscantur.

Ornant quoque *descriptiones* omne scriptum, dummodo convenienter in loco suo positae sint.

De *metaphoris* autem et *allegoriis,* quas una translationes denominare par est, recta quaedam praecepta tradit Peletarius, qui poetam inhonesta [2] vel abjectiora [3] vel etiam putidiora [4] respuere jubet : « An somme, les metafores se font sus choses connues e generales » (p. 43).

Haud aliter *similitudines* e natura rerum, sive ex animalibus, sive ex inanimatis, assumptae : quae, — praeterquam quod communibus figuris, cum magis conspicuae sint, ideo minus frequentes esse debent, — ante omnia propriae sint et rebus optime conveniant necesse est,

[1] Totum vide locum : « Les particuliers ornemans ... seront rares e antreluisans parmi le Poéme, comme les fleurs an un pre, ou comme les anneaus es doez.... » etc. (p. 41).

[2] « Nous ne dirons pas quelcun étre le *fian* de sa race : ni la Republique avoèt etè *châtree* par la mort de Scipion » (p. 42).

[3] « Nous ne dirons pas la *palhe* de l'age, pour la vielhece, par ce que toutes deus ont perdù leur humeur » (p. 42).

[4] « Nous ne dirons pas les *fenétres* de l'antandemant, pour les oreilhes : car cela se connoét étre cherchè de trop loin » (p. 43).

atque diligenter quidquid inhonestum [1] aut ridiculum [2] sit effugiant. Quod ita de verborum rerumque proprietate disserit, eo Peletarium adducit, ut a proposito digressus de personarum dignitate disputet, doceatque quomodo cuique secundum naturam suam loquendum sit [3].

Dein figurae cuidam immoratur quam *hypotyposin* graeco nomine nuncupat [4] quaque nihil aliud designat nisi quod gallice dicimus « *harmonie imitative* ». Sagaciter eam dicit esse « l'expression vive des choses par les moz » (p. 45). Maronis versibus quibusdam fretus, in quibus levitatem aliquam dactyli, spondei vero tarditatem significant, gloriatur ipse quod alaudae volatum et conflictum pugnantium et tympani tubaeque sonitum et lusciniae cantum et fulminis fragorem et crepitum saltantium et segetis trituram quodam modo versibus effinxerit [5]. At haec insolenter tentata plane testantur majore labore quam judicio nugarum talium artificem usum esse.

Non in ceteris multus ero figuris quas breviter recenset Peletarius : dico *antonomasias* et *hyperbolas* et *emphases* et *prosopopoeias* et *ironias* et *geminationes* et

[1] « Vous ne comparerez pas une armee a une bande de mousches : ni un Turne sortant maugre lui de la presse, a l'ane qui ne veùt point partir du páturage pour les garsons qui le frapet e refrapet : car telc compareson ét deshonnéte e desagreable. Mes bien se comparera au lion, qui pour la grand' ire e generosite, ne s'an peùt fuir, ni pour la grand' presse des veneurs, ne peùt plus tenir » (p. 43).

[2] « On ne comparera pas nomplus l'homme foeble a une souriz, e le plus fort a un chat : car c'ét chose ridicule e vile : mes bien cetuila a une colombe impuissante, e cetui-ci a une egle rapace. Ni les deus valhans combatans parez an force, a deus matins de laboureur : mes l'un au lion, l'autre au toreau » (p. 44).

[3] Hoc loco Peletarius, Flacci memor, variarum in humana vita aetatum picturam breviter effingit.

[4] Explicat Peletarius se funditus a Quintiliano dissentire, qui *hypotyposin* esse dicat « une representacion des choses avenues, laquele les donne a voèr quasi mieus qu'a ouïr » (p. 46).

[5] V. Peletarii poemata annis 1547 et 1555 edita.

apostrophas et *antitheta* et *circumlocutiones* et *metonymias* : quae tam variae sunt, Peletarii quidem confessione, ut solus ipse vates, ingenii sui facultate, sentire possit quando feliciter adhibendae sint, nec aliter quisquam possit intellegere quid valeant, nisi poetas legendo.

X

DE QUIBUSDAM POESIS VITIIS

***

Concluditur prior *Artis Poeticae* liber capite quodam in quo Peletarius, post recensas omnes poeticas virtutes, ut ita dicam, in contrarium disputans, quae vitia vitare poetam necesse sit exsequitur. Quorum gravissimum est *obscuritas* : « Comme nous avons dit la clerte étre le plus insine ornemant du Poéme : einsi l'obscurite se contera pour le premier vice. Car il n'i à point de diferance antre ne parler point e n'étre point antandù » (p. 48). Non tamen obscuritas scriptori semper imputanda est : namque fieri potest ut poeta, rectum ordinem secutus ac praeterea verbis in scribendo nec alienis nec putidis nec longius petitis usus, nequaquam intellegatur : tum lectorem, non poetam, accusemus. At si quis ingenii sui natura scriptor obscurus est, — ut olim Persius, de quo clarum illud Hieronymi dictum criticus noster memorat, — tum vere vitium, et maximum quidem, obscuritas. Unde profectus *Artis Poeticae* auctor illos increpat qui, ut a populo discedant doctorumque laudes obtineant, consilio obscuris rebus indulgent. Haec autem Peletarii vituperatio in prima Pleiadis opera recidit, ac praesertim in Ponti Thiarti sonetta Ronsardique pindaricas odas : « Èt

donq le Poëte le premier soin de donner lumiere a son ouvrage : e panse que le tans n'ét plus de ceus qui se delectet es choses obscures, pour prandre ocasion de se glorifier de les avoèr comprises... Il faut sus toutes choses qu'un ecrit soèt louable anvers les doctes, *e ce pandant qu'aus moins savans il donne de prime face quelque aprehansion de beaute, e quelque esperance de le pouvoèr antandre* » (p. 49-50). Illud profecto notatione dignum, « minus doctorum » causam Peletarium defendisse, quos principio Pleias, in juvenili ardore suo, tam superbe tractaverat. Ceterum jam diximus sententiarum in litteris commutationem circa annum 1555 factam esse, Pleiademque, ut vulgus antea despectum alliceret, jam ex parte remissis prioribus consiliis, sublime minus turbamque propius dicendi genus usurpavisse.

Dehinc alia Peletarius vitia recognoscit quae obscuritati quodam modo connectuntur, scilicet *repugnantia, repetita, redundantia* quae μακρολογίας Graeci vocant. Unum praecipue mirum est, quod ex « rhythmo » frequenter obscura vel prolixa manare judicat : « Ne dire ni plus ni moins qu'il faut [ét] chose de grande dificulte, principalemant an notre Poësie Françoese, ou la rime nous tient an grande sugecion. » Et infra : « La macrologie avient aus Françoes, qui pour venir a la rime alonget leurs vers de beaucoup de moz oeseus « (p. 50). Haud aliter et ipse Fenelo judicabit : « Souvent la rime, qu'un poète va chercher bien loin, le réduit à allonger et à faire languir son discours ; il lui faut deux ou trois vers postiches pour en amener un dont il a besoin [1]. » Attamen [cum Peletario notandum est rhythmi difficul-

[1] V. *Epistulam ad Academicos*, cap. V, *Projet de poétique*, edit. A. Cahen, 1899, p. 55-56.

tatem ipsam per se plurimum proficere, cum poetae, morari in singulis versibus coacti, nullum eloquendi vitium non circumspiciant [1].

Denique Peletarius disciplinas omnes quae futuro poetae nunquam omittendae sunt colligit et complectitur : « A brief parler, le Poëte se delibere e se prepare contre les fautes qui arrivet generalemant an deus androez : aus choses e aus moz. Es choses, comme obscuritez, impertinances, vilitez, contrarietez, exces, redites. Es moz, comme improprietez, redondances, ambiguitez e mauveses composicions. Se souviene tousjours de ce que nous avons dit an l'imitacion, qu'il i à infinies sortes de malfere, e une seule de bien fere. E pour cela, faut infinimant travalher a parvenir aus vertuz, e incessammant veilher pour ne tomber es vices » (p. 51-52).

Haec est prioris illius libri conclusio, in quo praecipue de universa poesi disseritur : de gallica singulariter poesi liber posterior quaerit.

[1] Eamdem sententiam paulo posterius, cum de *rhythmo* tractat, Peletarius repetit : « Pour repondre a l'objeccion que la rime ampesche la colocacion d'une bele frase, ou de quelque bonne santance, j'è opinion toute contrere, qu'ele ét, comme j'avoé touchè sus les vices, cause qu'an pansant, il se presante a nous quelque bon dessein e quelque bonne ordonnance de propos » (p. 55).

PARS ALTERA

I

DE RHYTHMO

***

Primum insigne, Peletarii sententia, gallica poesis praebet « *rhythmum* » : quem ipse satis breviter definit « une termineson e cadance samblable de deus vers ou plusieurs » (p. 53). Hoc autem verbum contra veram justamque nominis interpretationem usurpari notat, in quo quidem errat : nam gallicum « *rime* » non, ut perdiu creditum est, ex latino « *rhythmus* » oriri videtur, at potius e germanico « *rìm* » (apud recentiores « *reim* »), quod valet « numerus » aut « series » [1] .

Quod ad rhythmi vetustatem attinet, aequalibus quibusdam Peletarius priscam ejus originem esse concedit [2] : quanquam compertum est antiquos rhythmo, raris locis exceptis, et iis quidem in soluta oratione, accuratissime semper abstinuisse. Ceteroqui res minimi ponderis est : illud unum interest, nunc in usu rhythmum haberi multumque in poesi nostra valere : « De quelque lieu

[1] Cf. cum Peletarii sententia quod in *Defensione* Bellaius scripsit, lib. II, cap. 8, p. 134 : « Tout ce qui tumbe soubz quelque mesure et jugement de l'oreille (dit Ciceron) en latin s'appelle *numerus*, en grec ῥυθμός, non point seulement au vers, mais à l'oraison. Parquoy improprement notz anciens ont astrainct le nom du genre soubz l'espece, appellant *rythme* cete consonance de syllabes à la fin des vers, qui se devroit plus tost nommer ὁμοιοτέλευτον, c'est à dire finissant de mesmes, l'une des especes du rythme. » — Nemo nescit duo verba *rime* et *rythme* xvi° saeculo constanter inter se confusa : quae scriptores ad eamdem originem (*rhythmus*) ambo referebant.

[2] Cf. Bellaium auctore Joanne Majore a Belgis antiquitatem rhythmi celebrantem (*Defens.*, p. 135).

qu'ele nous soèt venue, recevons la, non seulemant par coutume, mes ancores pour une formele beaute de Poësie » (p. 54). Unde praeceptor noster, cum nullum sit inter prosam orationem ac poesim manifestius discrimen, vatibus suadet ut locupletissimos rhythmos exquirant [1]. Non hac de re cum Bellaio plane consentit : Joachimus enim, quanquam locupletes rhythmos non aspernabatur, pertaesus tamen nimiae veterum « rhetoricorum » poetarum subtilitatis, qui cum omnibus rarissimis, tum ambiguis rhythmis intemperantius abusi erant, ante omnia nihil in eligendis rhythmis coactum, nihil impeditum esse postulabat [2]. Peletarius autem existimat nunquam esse nimiam rhythmorum diligentiam, et arbitratur, ut longe postea Theodorus de Banville, pulchre cogitatis rebus nequaquam obstare rhythmos pulchros, immo auxilio esse, nedum obstent, cum vatis animum ad laborem quemdam haud infecundum excitent : « Si on m'alegue la sugecion que c'ét que d'i être si consciancieus, on ne sauroèt par cela gagner autre chose, sinon qu'on veùt chercher un subterfuge de labeur. Si on me dit que les rimes riches sont trop rares, e qu'eles ampeschet l'execucion d'un bon propos ou d'une bele maniere de parler, je pourroé repondre que les beles locucions aussi sont rares, e que si pour contreinte de la rime il ne vient a propos de les pouvoèr metre a une fin de vers, il les faut metre au milieu, les changer, les ruminer, aviser si nous pouvons user de transposicion de moz, ou

[1] « J'è tousjours etè d'avis que la rime des vers doèt être exquise e, comme nous disons, riche » (p. 54).

[2] *Defens.*, lib. II, cap. 7, p. 130-131 : « Quand à la rythme, je suy' bien d'opinion qu'elle soit riche .... Quand je dy que la rythme doit estre riche, je n'entens qu'elle soit contrainte .... Mais la rythme de notre poëte sera voluntaire, non forcée : receue, non appellée : propre, non aliene : naturelle, non adoptive .... »

si nous avons le moyen d'an user autremant ou autremant » (p. 54). Et paulo infra : « *An Poësie il faut fere tous les deus, e bien dire, e bien rimer. Car si la rime sèrt au plesir de l'oreilhe, certes plus ele sera exacte, e plus de contantemant ele donnera* » (p. 55). Equidem; quid Peletario sit objiciendum, non habeo : cujus doctrinae Pleiadis poetae quidam, ut Baifius, si magis memores fuissent, forsitan eis melius successisset.

Ipse Peletarius praeceptis exemplum addebat vehementerque curabat ut rhythmi sui quam pulcherrime sonarent : quod in *Arte Poetica* sua sibi laudi dedit : « E certes, il faut que je die cela de moe, que j'è etè celui qui plus è voulù rimer curieusemant, e suis contant de dire, supersticieusemant. » Adjicere tamen festinat se nunquam, ut rhythmus locupletior esset, aut sententiarum diligentiam aut verborum proprietatem in deterius inflexisse : « Mes si étce, que james propriete de rime ne me fit abandonner propriete ni de moz ni de santances : j'antàn toutes choses pareilhes : car si j'è etè impropre ou an disposicion ou an elocucion, la curiosite de bien rimer ne le m'à point causè, qui n'usse pas mieus fèt, quand j'usse etè moins afeccionnè a l'exquisicion de rime » (p. 55-56). Manifestum est eum voluisse se defendere contra illos qui de rhythmorum quaestione secum dissiderent : nam haec insuper scribit : « Vrei ét que je ne reprandrè pas, einçoes ne priserè pas moins, un homme, pour ne rechercher une rime si songneuse comme sont *misericordieusemant* e *melodieusemant*, qui ét une rime mienne » (p. 56). Quem igitur his verbis petere voluit ? Ipsum, ut mihi quidem videtur, Bellaium, qui prius acriter, ut solebat, haec erat jaculatus : « Quand je dy que la rythme doit estre riche, je n'entens qu'elle soit

contrainte, et semblable à celle d'aucuns, qui pensent avoir fait un grand chef d'œuvre en Francoys, quand ilz ont rymé un *imminent* et un *eminent*, un *misericordieusement* et un *melodieusement*, et autres de semblable farine, encores qu'il n'y ait sens ou raison qui vaille [1]. » Dum haec scribit, utrum Bellaius Peletarium ipsum petierit necne, dubium est : sed Peletarius haud sine ratione semet a *Defensionis* auctore petitum esse credere potuit.

Jam vero, doctor noster, sonorum concentus semper curiosus, hoc pro lege ponit, rhythmos non longiore intervallo separandos atque satis esse si consonantes duo versus intra se tantum duos alios exceperint [2]. Quamobrem Italorum rationem reprehendit qui saepius, in sonettorum fine, rhythmum usque ad quintum versum differebant. Cujus rationis plura sunt apud Petrarcam exempla, qui ternos versus [gallice : « tercets »], in LXVIII sonettis, in hunc modum disposuit : ABC—BAC. Nullum autem Pleiadis poetam video Petrarcae in hoc imitatorem : nam ipse Bellaius, etsi principio plerosque rhythmorum nexus a Florentino vate excogitatos apud nos introducere tentavit, non hunc saltem expertus est [3]. At in *Olivae* tredecim sonettis, terni versus hanc rhythmorum speciem

[1] *Defens.*, p. 131.

[2] « De mon opinion, les rimes ne doevet étre trop distammant separees. J'antàn qu'antre deus vers d'une couleur, n'i doevet étre, pour le plus, que deus autres vers » (p. 56).

[3] Recentiores poetae quidam in disponendis sonettorum rhythmis rursus varias Italorum rationes usurparunt. Liceat mihi pro exemplo proponere ternos illos versus in quibus cum quinto versu primus consonat : quos ex libello decerpo quem exquisitus ille sonettorum artifex Angellier « *Amissae Amicae* » dedicavit :

> Son orgueil le força d'aimer moins haut que *toi*.
> Sans doute il a souffert en te faisant souffrir ;
> Et peut-être, parfois, au fond des mers lointaines,
>
> Pensif, sur son navire, aux heures moins hautaines
> Où le soir assombrit les flots, il sent en *soi*
> Des regrets tels qu'ils sont presque du repentir.

praestant : ABC — ABC [1]. In novem aliis, haec est figura : ABA — CBC [2]. Quattuor denique sonetta ternos versus ita dispositos habent : ABA — CCB [3]. Ex tam variis rhythmorum rationibus, nulla quidem *Olivae* superfuit, posteaque Bellaius, sicut et omnes illius temporis poetae, semper ternis versibus initium duplices rhythmos AA posuit : ita ut finis necessario fuerit vel B — CCB vel B — CBC. Hoc modo, non jam fieri potuit ut duos rhythmos plus quam unus diversus sonus alterum ab altero separaret, nec jam bene purgatis auribus rhythmi male sonuere.

Ut finem faciamus, errare nobis videtur Georgius Pellissier [4], qui contendit Peletarium nihil in *Arte Poetica* sua de masculinorum femininorumque rhythmorum vicibus tradidisse. Nam ita profecto se res habet ut illam quaestionem infra tractaverit, dum de sonetto deque oda disputat : quod quidem mox perspicietur.

II

DE VERSIBUS

***

Declarat Peletarius magnum ex hoc poesim nostram percipere commodum, quod variis versibus utatur, a disyllabis usque ad dodecasyllabos, cum in omni genere poematum hujus varietatis gratia quasi ludere possit. Notat tamen nobis deesse novem syllabarum versus. Nescio an, ut Peletario contradiceret, Ronsardus parvum illud

[1] Cf. *Olivae* sonetta 1, 3, 5, 10, 12, 15, 24, 41, 43, 46, 54, 63, 82.
[2] Cf. *Olivae* sonetta 2, 13, 21, 45, 57, 79, 84, 98, 106.
[3] Cf. *Olivae* sonetta 20, 33, 34, 36.
[4] *Op. cit.*, p. 48.

carmen tantum ab Aemilio Faguet laudatum [1] excogitaverit :

Chere Vesper, lumiere dorée
De la belle Vénus Cytherée [2] ...

Quidquid est, quod expertus erat, non iterum tentavit. Poetae tantum quidam temporis nostri rursus novem syllabarum versus, necnon feliciter, aggressi sunt.

Cum tacite versus hendecasyllabos probare videatur, desiderandum est Peletarium non explanavisse quod hac de re Bellaius in *Defensione* obscurius protulit [3]. Sed hoc minime scriptori nostro curae fuit [4].

De minoribus autem versibus breviter disserit : nam unius syllabae metrum, nempe quia nondum, quod sciam, tentatum erat, ut ipse Sibiletus, praetermittit, ceteros vero rarissimos esse declarat. Videntur ei pentasyllabi versus « initium quoddam leporis [5] » habere : hexasyllabi jocosis odis, gravibus autem heptasyllabi et octosyllabi aptissime convenire.

Longius in decasyllabis et dodecasyllabis immoratur. Nec mirum : satis enim notum est decasyllabum versum, qui vulgo dicebatur *heroicus*, primum diu locum apud gallicos poetas obtinuisse, adeo ut Bellaius in *Defensione* ne semel quidem alexandrinum nominaverit, et illo metro, non alexandrino, prima Pleiadis opera scripta

[1] Faguet, *Seizième siècle*, p. 278, de Ronsardi metris : « Il a une chanson en vers de neuf syllabes qui est une petite merveille. Dans ce rythme étrange, un peu gauche, comme tous les impairs, un peu inquiet et égaré, c'est une « chanson du fou » et une sensation de crépuscule qu'il a mises. Vraie intuition de grand artiste ! »

[2] Edit. Blanchemain, t. II, p. 274. — Quo tempore carmen illud Ronsardus composuerit, nobis incertum est : quod quidem nusquam invenimus in Ronsardi lyricis operibus, ante annum 1555 conditis, quae nunc in Bibl. Nat. servantur.

[3] *Defens.*, p. 118.

[4] Ronsardus, ut notum est, bis hendecasyllabos tentavit, dum apud nos sapphicum carmen introducere conatur. V. edit. Blanchemain, t. II, p. 376-377.

[5] « Ceus de cinq ont commancemant de grace » (p. 57). — Exemplum Maroti proponit, scilicet *Epitaph.* XI (edit. P. Jannet, t. II, p. 217).

sint. At, circa annum 1555, jam renovabatur apud nos metrorum usus, alexandrinoque, quem versum fere omnino Marotus Marotique discipuli neglexerant [1], libentius novi poetae favebant et indulgebant. Quod non Peletarium fefellit : « Le dodecassilabe, autremant vers alexandrin, etoèt fort rare jusques a cet age... Il à puis nagueres etè reçù pour heroïque : qui ét son vrei e propre usage » (p. 57). Non patefacit Peletarius quis inter novos poetas primus alexandrinum versum restituendum ita susceperit : sed nos Paschasius certiores facit [2]. Cujus testimonio si credas, primus omnium Baifius, in *Amoribus ad Francinam* (1555), alexandrinos versus sonettis accommodaverit. Hic tamen Paschasius *Amores ad Francinam* cum *Amoribus ad Melinam* (1552) commiscet, quod opus revera ex XLI sonettis quinque continet alexandrino metro modificata. Post Baifium Bellaius, dum ad Tiberim submotus *Antiquitates Romae* celebrat (1553 vel 1554), decasyllabos versus et dodecasyllabos alternis vicibus adhibuit. Quod ad Ronsardum attinet, quem constat alexandrinis *Amores ad Mariam* anno 1555 cecinisse, non immerito videtur esse gloriatus [3] quod primo (dum *Hymnos* [4] modu-

[1] Haec scripsit de alexandrino versu Sibiletus, lib. I, cap. 5 : « Ceste espece est moins frequente que les autres deus precedentes [dicit octosyllabos et decasyllabos versus] et ne se peut proprement appliquer qu'a choses fort graves, comme aussi au pois de l'aureille se trouve pesante. Si en a usé Marot parfois en Epigrammes et Epitaphes. » Num memorandum est alexandrinis versibus, haud apud medii aevi poetas inusitatis, Joannem Majorem a Belgis, ineunte XVI° saeculo, restituere pristinam auctoritatem tentavisse ?

[2] *Rech. de la France*, lib. VI, cap. 8.

[3] Edit. Blanchemain, t. III, p. 11 (« lesquels vers j'ay remis le premier en honeur ») et t. VII, p. 330 (« lesquels j'ay mis, comme tu sçais, en vogue et en honneur »).

[4] Illud notatione dignum, in prima *Hymnorum* editione, quae Lutetiae Parisiorum, apud Andream Wechel, anno 1555, in-4°, in vulgus emissa est (Bibl. Nat. — Res. Ye. 489), ea quae versibus alexandrinis scripta sunt carmina, hac annotatione signata fuisse : « *vers heroïques* » ; ea vero quae decasyllabis, illa : « *vers communs* ». Ex quo mihi liquet ex industria Ronsardum ad dodecasyllabos versus transtulisse quod prius honoris causa decasyllabis nomen attributum erat.

latur) sibi venerit in mentem alexandrino metro longa carmina binis rhythmis ornata componere. Utique Peletarius hac nova dodecasyllabi versus gratia laetatur : « Le decassilabe etoèt trop court : e n'i avoèt lieu de comprandre que bien peu an deus vers, etans les rimes trop pres l'une de l'autre. Meintenant, antre deus rimes, i aura commodite de parler plus santancieusemant » (p. 57). Optime quidem judicabat : quod si Ronsardus tam sapientis judicii minus fuisset immemor, non decasyllabis versibus in exstruenda *Franciade* erravisset.

Postquam autem sic de metris disseruit, ad *caesuras* Peletarius transit : nihil in hac parte novum enuntiat, dum animadvertit in decasyllabis post syllabam quartam [1], post sextam autem in dodecasyllabis caesuram fieri. Haud opportunum nobis esse videtur Peletarium sequi Latinorum Gallorumque caesuras inter se conferentem. Sit satis dixisse criticum, cui semper bene sonantes versus curae sunt, hanc sancire legem, ut caesura diligenter indicetur, neu post monosyllabon unquam collocetur quod non possit in legendo a sequenti verbo separari, — quemadmodum in hoc versu vitiose factum est : *Je croè que si | tu couloés travalher*. Jam antea Bellaius eamdem legem tulerat, cum Sibileti versum quemdam reprehendens scripsisset : « J'ay quasi oublié un autre default bien usité et de tresmauvaise grace. C'est quand en la quadrature des vers heroïques la sentence est trop abruptement couppée,

[1] Nihil dicit de vetere quodam decasyllabi metri genere, rarissimo quidem, quod *taratantara* vocatum erat : in quo post syllabam quintam caesura jacet. Hujus generis specimen unum reperias apud Eutychum Deperium, scilicet satiram « *Caresme prenant* » inscriptam :

> Caresme prenant, | c'est pour vray le diable,
> Le diable d'enfer | plus insatiable . . .
> etc.

V. *Œuvres françoyses de Bonav. des Périers*, edit. Lacour, t. I, p. 169. — Nullum autem apud Pleiadis poetas specimen.

comme : *Si non que tu | en montres un plus seur*[1]. »

Illud de versibus caput Peletarius concludit duas quaestiones breviter tractando, quas curiosi quidam ejus temporis viri moverant, scilicet de versibus rhythmis carentibus deque versibus antiquo ritu metricis.

Quod ad versus rhythmis carentes attinet, quos Galli « *vers blancs* » vulgo dicunt, satis compertum est Eutychum Deperium in octosyllabos hujus generis primam Horatii satiram transtulisse[2] : quod inceptum mediocriter probaverat Sibiletus[3]. Bellaius autem cum Petrarcae tum Alamanni exempla prae se ferens, rhythmis carentes versus fieri posse profitebatur, dummodo essent « bien charnuz et nerveux, afin de compenser par ce moyen le default de la rythme[4] ». Ipse, anno 1550, *Olivae* sonettum unum hoc modo condidit[5], atque Ronsardus, eodem anno, e XXXIV octosyllabis versibus constantem odam similiter, nec meo quidem sensu felicius, expertus est[6]. Haec nova Peletarius, etsi non omnino respuit, tamen unquamne bene successura sint dubitat, quippe poesim prosae propius admoventia, cum nunquam satis longum inter utrumque genus intervallum esse possit : « Je n'ignore pas que

[1] *Defens.*, p. 142. — Cf. quod in *Arte Poetica* sua Ronsardus et ipse praecepit : « Sur toute chose je te veux bien advertir, s'il est possible (car tousjours on ne fait pas ce qu'on propose), que les quatre premieres syllabes du vers commun ou les six premieres des alexandrins, soient façonnées d'un sens, aucunement parfait, sans l'emprunter du mot suivant. Exemple du sens parfait :

Jeune beauté | maistresse de ma vie.

Exemple du vers qui a le sens imparfait :

L'homme qui a | esté dessus la mer. »

(Edit. Blanchemain, t. VII, p. 331).

[2] Edit. Lacour, t. I, p. 97 : « Des mal contens ».

[3] Lib. II, cap. 15.

[4] *Defens.*, p. 132. — Cf. thesim nostram de Joachimo Bellaio, p. 138.

[5] V. *Olivae* sonettum 114.

[6] *Ode sans rime sur la naissance de François de Valois, Dauphin de France, à la Muse Caliope.* (Edit. princ. 1550, f° 86 r°. — Edit. Blanchemain, t. II, p. 212).

quelques uns de notre tans n'eet voulù introduire la façon des vers sans rime : chose que je ne reçoè grandemant, ni ne regete aussi. Mes je di bien, que sufisant tant seulemant la cesure e le nombre de silabes pour fere un vers, il i aura peu de diferance antre les vers e la prose » (p. 59).

Jam vero, de versibus ad graecam latinamque prosodiam accommodatis tam diligenter a Pellissier tractatum est [1], ut non longo sermone sit nobis opus. Errat, si quis putat Peletarium, quod novis rebus semper faverit, prima metricorum versuum rudimenta benigne accepisse. Nec tamen laboriosum illud inceptum funditus repudiat: sed in contrarium disputat pluraque objicit cum ab orthographiae varietate, tum a difficultate syllabarum in lingua nostra prosodiam certo constituendi petita : « Je ne voudroé pas reprouver les vers metrifiez a la mode de ceus des Gréz e des Latins : léquez je voè avoèr etè esseyèz par aucuns des notres. Mes il n'i à pas petite dificulte. E faudroèt bien savoèr observer la longueur e brievete naturele de noz silabes. Il faudroèt bien acoutrer la façon vulguere d'ortografier, e oter ces concurrances de consones, e ces letres doubles que lon mèt es silabes brieves » (p. 59).

III

DE VARIIS POEMATUM GENERIBUS
DE EPIGRAMMATE

***

Reliquum opus confert Peletarius in varia poematum genera apud Gallos vigentia. Nullum quidem constanti

[1] *Op. cit.*, p. 113-114.

forma poematibus istis locum tribuit, quibus erant oblectati veteres nostri rhythmorum artifices (gallice « *rhétoriqueurs* »), quorumque quaedam, secundum illos, tractare dedignati nec Marotus ipse nec ejus aemuli. Describendis ejusmodi poematibus adhuc plura libelli sui capita reservare Sibileto visum erat [1]. Sed Bellaius illa, probroso nomine imposito (« *épisseries* »), jam superbe relegaverat ut Floralibus Tolosae Ludis Rotomagensique Podio maxime idonea [2]. Ac re ipsa statim post editam *Defensionem*, rondellus, ballata, cantus regalis, ceteraque ejusdem generis poemata certatim ex poesi recesserant et quasi evanuerant. Vix ea, tamdiu apud poetas nostros usitata, Peletarius, breviter quidem ac maligne, attingit : « Combien de tans à etè notre langue languissante an barbarie, pövrete et contannemant !... Combien longuemant à ele sofistiquè an Balades, Rondeaus, Lez, Virelez, Triolez, e s'il i an à de téz ! » (p. 64). Ergo, quae Pleias invenerat vel quae jam a Maroticis suscepta retinuerat, ea sola poematum genera recenset.

Ut Sibiletus utque Bellaius, a brevissimo Peletarius incipit, quod est *epigramma*. Non quidem necessario maledicum carmen hoc nomine veteres nostri poetae designabant, sed omne poematium quod non supra duodecim versus, aut supra raro, numeraret [3]. Nemo nescit nugas illas in priore xvi[i] saeculi parte multorum poetarum gratiam esse consecutas. Bellaius ipse, qui primum, ut ceteri, epigramma coluerat [4], non dein a poesi rejecit,

[1] Lib. II, cap. 3, 4, 5, 6, 13.
[2] *Defens.*, p. 112-113.
[3] Sibiletus ita loquitur, lib. II, cap. 1 : « Les épigrammes qui ont plus de vers sont ceus aussy qui ont moins de grace Pour ce réguliérement les bons Poëtes François n'excedent le nombre de douze vers en épigramme. »
[4] Nihil aliud est quam *epigramma* poematium illud ex decem versibus confectum [gallice : *dizain*], *Clementis Maroti Epitaphium* (edit. Marty-Laveaux, t. I, p. 207), quod Bellaius, anno 1549, in fine *Olivae*, tunc primum editae, publicavit, antea tamen, ut videtur, compositum.

dummodo, si quis epigrammata scriberet, diligentius Martialem imitaretur [1]. Haud aliter Peletarius Martialem « generis professorem » salutat, quanquam in illius libro « mala plura » reprehendit [2].

Ut vere loquamur, non his quae jam Sibiletus docuerat multum addit : nam, ut Sibiletus, epigramma declarat cum jocosis rebus, tum gravibus convenire, nec modo breve ac concisum, sed etiam subtile et acutum esse debere, praesertim in clausula. Hoc unum Peletarii proprium est, quod poetis mandat ut Graecorum Latinorumque disticha simulent atque decasyllabum cum alexandrino versu conjungant.

IV

DE SONETTO

***

Sonetium anno 1555 jamdiu civitatem apud gallicos poetas obtinuerat. Illud enim poematium quod ab Italis, ut satis compertum est, Sangelasius atque Marotus assumpserant, cito gratissimum novis vatibus factum erat, qui, ut amores suos canerent, tam concinna perfectaque forma libenter utebantur. Ipsius autem in sonetto diffundendo Peletarii multa pars, quippe qui *Poeticis Operibus,* anno 1547, sonetta xv inseruerit, quorum xii ex Petrarcae sonettis translata [3], quique, ut jam supra diximus, aliquot

[1] *Defens.*, p. 113.

[2] Ipse Martialis de suis epigrammatis ita confessus est (I, 17) :

Sunt bona, sunt quaedam mediocria, sunt mala plura,
Quae legis hic. Aliter non fit, Avite, liber

Confitentem Peletarius increpat : « Il dìt qu'autremant ne se fèt un livre. An quoe ne le faut pas croere. Non qu'il soèt possible de dire tousjours quelque chose de singulier. Mes pour le moins, il ne faut point falhir a son esciant, comme il samble qu'il face » (p. 60).

[3] Edit. princ., f° 55 r° sqq.

mensibus ante publicatam *Artem Poeticam*, sonetta xcvi, *Amorem Amorum*, in vulgus emiserit.

Peletarius, ut omnes ejusdem aetatis, persuasum habet illud poematis genus ab Italis inventum esse. Sic de Petrarca, praestantissimo sonetti principe, singulariter judicat : « Nous l'avons tous admirè e imitè, non sans cause : vû la grand' dousseur du stile, la grand' variete sus un seul suget, e la vive expression des passions amoureuses qu'on voèt an son euvre. Combien qu'il à des redites, e que quelquefoes il conclue un peu froedemant. *Mes il n'etoèt pas nè du bon tans. Non que depuis, aucun l'ét egalè de sa nacion : mes s'il ut etè de ce tans ci, il se fut pù surmonter lui-méme tel que nous l'avons* » (p. 61). Quis non miretur tam longe Peletarium de temporis sui urbanitate judicantem erravisse? Non tamen ab hominibus petendum est, ut aetatem suam aequalesque quibus permixti vivant certo judicio ponderent[1]. Id quidem nobis gratum sit quod prudenter a posteris, non ab aequalibus exspectaverit quid valerent permulta illa sonetta quae tunc in Gallia florerent.

Jam Sibiletus antea sonettum cum epigrammate contulerat, utpote quod nihil aliud quam epigramma ex quattuordecim versibus confectum esset. Qui dicebat : « Le sonnet suit l'épigramme de bien prés, et de matiére, et de mesure .... La matiére de l'épigramme et la matiére du sonnet sont toutes unes, fors que la matiére facécieuse est repugnante a la gravité du sonnet, qui reçoit plus proprement affections et passions gréves[2]. » Haec duo poemata Peletarius et ipse confert, sed sonetto priorem

[1] De P. Bembo qui xvi° saeculo Petrarcae studiosissimum ac diligentissimum imitatorem in Italia se praebuerat, subnectit Peletarius : « On tient toutefoes que Bembe an à fèt d'aussi sublimes que les siens : mes je confesse ne les avoèr vùz » (p. 61).

[2] Lib. II, cap. 2.

locum attribuit : « Le sonnet ét plus hautein que l'epigramme, e à plus de majeste .... Il à de commun avec l'epigramme, qu'il doèt se fere aparoèr ilustre an sa conclusion. Mes il à de plus, qu'il doèt étre elabourè, doèt santir sa longue reconnoessance, doèt resonner an tous ses vers serieusemant : e quasi tout filosofique an concepcions » (p. 61-62). Illud profecto negare licet, sonettum nullam fere sententiam admittere quae non ad philosophiae fontes pertineat. Nec tamen mirum est quod hoc contenderit qui cosmographiam et astrologiam et alias de rerum natura scientias amatoriis sonettis miscuisset [1].

Quod autem ad sonetti structuram attinet, declarat Peletarius hoc poematium quasi ex duabus vel etiam tribus clausulis esse faciendum, illosque omne punctum laturos qui sic in medio scripto lectorem delectaverint, ut jam ad finem se pervenisse existimet, novis vero mox viribus collectis, opus egregia quadam conclusione coronaverint.

Postremo quaestionem aggreditur de masculinorum femininorumque rhythmorum vicibus. Haec consuetudo, quae nuper in sonettum ex oda transierat, jam magis et magis valebat, ita ut in omne poematum genus transiret. Quam non Peletarius repudiat, cum ita sonetto pulchrius aliquid accedat. Tamen, quoniam difficillimum est singillatim illud poematium, non rhythmorum vices poetis in sonetto religiosius observandas imponit. Et quidem dignus est ille locus qui referatur : « On le fèt meintenant de vers masculins e feminins : chose de curiosite, non de necessite : toutefoes louable, a la nouveaute. E si je savoé que ceus qui le font tel fusset ambicieus de louange, pour le fere tel, il ne me couteroèt rien a leur aplaudir. Iz

[1] V. *Amorem Amorum.*

sont bien plus a louer de le fere bon, c'ét a dire, de bonne invancion. Car ce n'ét pas la loe du sonnet qui les apele a tele observacion. E a la verite, il ét d'assez grande servitude sans cela » (p. 62). Et, professus semet ipsum in novissimis sonettis, ne labori parcere videretur, illam legem servavisse, addit : « J'an conclurè mon avis, que celui qui sera einsi composè sera plus beau e plus exquis. Mes celui qui ne sera tel, pour cela ne perdra pas son nom ni sa dinite de sonnet. »

Quod si nunc, ut clariores appareant Peletarii sententiae, prima sonettorum a Pleiadis vatibus edita volumina respiciemus, illam alternorum rhythmorum legem haud primum diligenter observatam esse videbimus. Nam, ex *Olivae* Bellaii (1550) cxv sonettis, xiii modo masculinorum femininorumque rhythmorum vices adstricte custodiunt. Si vero Ponti Thiarti recensentur *Errores Amatorii*, tantum sonetta vi e lxx quibus constat liber primus (1549), ex autem xxxvi quibus constat secundus (1551), iv tantum sonetta secundum legem composita sunt. Princeps, auctore Paschasio, Ronsardus in *Amoribus ad Cassandram* (1552) legem religiose tenuit [1] : etenim ex ccxxiii sonettis [2], vix xv haud rite facta numero. Ceterum videtur annus ille 1552 de rhythmorum vicibus regulam firmiter instituisse : nam una cum Ronsardo, Baifius in *Amoribus ad Melinam*, cum opus totum xli sonetta complectitur, xxvi servata lege composuit ; et ipse Bellaius, dum *XIII Sonnetz de l'honneste Amour* scribit, nullum quod non ad legem

[1] *Rech. de la France*, lib. VI, cap. 8 : « Le premier qui y mist la main fut Ronsard, lequel *premierement en sa Cassandre*, et autres livres d'Amours, puis en ses Odes, garda ceste police de faire suivre les masculins et feminins sans aucune meslange d'iceux. »

[2] Ex editione Blanchemain haec sonetta recenseo, quoniam aliter non fieri potest : at satis patet non principem (1552) editionem ccxxiii sonetta continuisse.

prorsus accommodatum esset inseruit. — Attamen, nescio qua vix institutae consuetudinis oblivione, videntur poetae, circa annum 1555, aliquid ex illa lege singulariter remisisse : sic Ronsardus, in *Amoribus ad Mariam,* qui circiter LXXX sonetta comprehendunt, praeceptum vicies neglexit, atque Baifius, ex *Amorum ad Francinam* CCXLVIII sonettis, haud minus quam CXLIV sonetta regulae repugnantia composuit, id est plus quam dimidium opus. Quin etiam errat, si quis putat Bellaium, cum *Antiquitates Romae* tum *Tristia* condentem, alternos rhythmos constantissime disposuisse. Adeo verum est in poesi, sicut in ceteris rebus, tempore longo quaeque nova praevalere !

V

DE ODA

⁂

Jam nunc *odam* aggredimur, quam prae se gloriosius Pleiadis poetae tulerunt, ut quae a se in gallicam poesim introducta fuerit. Peletarius novum illud poematis genus tam magni facit, ut suum de oda caput longo gravique prooemio de scientiarum artiumque profectu digressus inchoet : typorum enim inventionem armorumque progressionem commemorat, ut odae majorem esse quam veterum poematum dignitatem demonstret [1].

Alias dixi [2] quae sit ex hoc Peletarii capite sumenda materia, si quis historiam odae tractare velit. Ergo nunc

[1] Jam Bellaius in *Defensione* scripserat (p. 76) : « Je ne produiray pour temoings de ce que je dy l'Imprimerie seur des Muses et dixiesme d'elles, et ceste non moins admirable que pernicieuse foudre d'Artillerie .... »

[2] Lectori placeat evolvere quod ipsi disseruimus in *Rev. d'hist. litt. de la France*, 1899, p. 21 : « L'invention de l'Ode et le différend de Ronsard et de du Bellay. »

mihi liceat breviter exponere quam ad conclusionem pervenerim. Quanquam Peletarius declarat, auctore Ronsardo, Ronsardum ipsum nomen illud « odam » in nostrum sermonem induxisse [1], tamen in contrarium disputari facile potest, quippe cum illud nomen jam anno 1511 apud Joannem Majorem a Belgis [2] legatur, necnon fieri possit ut prius ab alio scriptore sit usurpatum. Hoc tantum recte dici potest, Ronsardum, nomen « odam » etiamsi non invenerit, saltem multo frequentius et vere patrium fecisse.

Odae vero reipsa inventae laudem Maroto Peletarius tribuit, cujus *Psalmos* arbitratur nihil aliud quam odas esse, quibus odarum nomen tantum defuerit [3]. Equidem non infitior *Psalmis* lyricum aliquid inesse, Peletarioque libenter concedo Marotum, dum metra variare studet, odarum exemplaria finxisse. Tamen illud animadvertendum est, metrorum hanc varietatem in oda constituenda Pleiadis poetas non maximi fecisse, saepius etiam neglexisse [4], sedenim odam et argumentorum genere et sententiarum ornatu et figurarum decore constanter definivisse : quod ipse Peletarius confirmat, cum dicit : « La matiere de

[1] « Ce nom d'Ode à etè introduìt de notre tans par Pierre de Ronsard » (p. 64). — Cf. Ronsardum in *Odarum* praefatione (1550) dicentem : « J'osay le premier des nostres enrichir ma langue de ce nom, Ode. » (Edit. Blanchemain, t. II, p. 10).

[2] *Concorde des deux langages* (1511) :

> Là recite on d'invention sapphique
> Maint noble dit, cantilenes et *odes*,
> Dont le style est subtil et mirifique.
>
> Edit. J. Stecher, t. III, p. 112.

Rursus *oda* nomen invenitur in opere quodam Bartholomaei Anuli (1541), *Lyon Marchant, Satyre Francoise*, f° 7 r°.

[3] « Cete nouveaute se trouva rude au premier : e quasi n'i avoèt que le nom invantè. Mes quant a la chose, si nous regardons les Seaumes de Clemant Marot, ce sont vrees odes, sinon qu'il leur defalhoèt le nom » (p. 65).

[4] Etenim Pleias, ut compertum est, haud semel odas paribusque versibus binisque rhythmis ordinatas composuit.

l'ode sont les louanges des Dieus, Demidieus, e des Princes, les amours, les banquez, les jeuz festiz, e samblables passetans. Qui montret qu'ele ét capable de divers argumans e de divers stile » (p. 65). Et infra : « L'ode ét le g'anre d'ecrire le plus spacieus pour s'ebatre, qui soèt au dessous de l'euvre heroïque, an cas de toute liberte poëtique : comme fables, figures, e autres naïvetez » (p. 66). Haud aliter in *Defensione* Bellaius senserat [1]. Ambo ceterum illa Flacci repetebant :

> Musa dedit fidibus Divos puerosque Deorum,
> Et pugilem victorem, et equum certamine primum,
> Et juvenum curas, et libera vina referre [2].

Inter odam, hoc modo conceptam, ac Maroti *Psalmos* nullam esse cognationem manifestum est : namque nihil aliud erat quam renovata antiquorum oda.

Illam autem renovationem primus ante omnes Ronsardus tentavit, cum in poesim nostram, pluribus annis ante cognitum Pindarum, Horatianum carmen introducere conatus est. De quo Peletarius nos certiores facit : narrat enim sibi Ronsardum adulescentem in Cenomanorum urbe obvium fuisse, qui primas ad exemplar Horatii carminum fictas odas ostenderit [3]. Jam alias id, ut veri similius est, anno 1543 evenisse, nisi fallor, probavi [4], cum Ronsardus a Renato Bellaio, Cenomanorum episcopo, tonsuram petitum venisset, cujus tum maxime ipse Peletarius, ut scriba ab epistulis, negotia curabat. Non est hic locus in illis

[1] *Defens.*, p. 114-115. — Cf. quae jam senior Ronsardus multo posterius erat dicturus in *Odarum* nova praefatione, « Lectori » dedicata, quae tantum post ejus mortem edita fuit. (Edit. Blanchemain, t. II, p. 7-8).

[2] *Epist. ad Pisones*, v. 83-85.

[3] « Lui [Ronsard] etant ancor an grand' jeunece, m'an montra quelques unes de sa façon, an notre vile du Mans : e me dìt delors qu'il se proposoèt ce g'anre d'ecrire, a l'imitacion d'Horace : comme depuis il à montrè a tous les Françoes » (p. 64).

[4] *Rev. d'hist. litt. de la France*, 1899, p. 35.

Ronsardi rudimentis longius immorandi, quae scriptor ipse, cum *Odas* edidit (1550), a ceteris carminibus, imposito *Silvarum* [gallice : *Bocage*] nomine, seposuit. Primas autem illas odas Peletarius non ad lyram accommodatas esse notat [1] : ex quo intellegendum est non in his Ronsardum masculinorum femininorumque rhythmorum vices observasse. Mirum profecto quod eam consuetudinem Pleiadis poetae non libenter acceperint, quae jam ab aliis prius esset usurpata [2]. Sic Bellaius, principio saltem, eam superbius, ut « superstitiose » conditam, respuerat [3], atque Peletarius ipse confitetur se primum eam servare noluisse [4]. Primis enim temporibus odam ab omni musica separatam Pleiadis poetae colebant. Sed ex quo Ronsardus percepit odae decorem quemdam addi, si cantus adjungeretur, vel, ut ait ipse, si carmen ad lyram accommodaretur [5], tunc, quod jam prius in *Psalmis* Marotus fecerat [6], sponte sua masculinorum femininorumque rhythmorum vices custodire coepit. Constat Pleiadis poetas, postquam hanc legem lyricis carminibus imposuerunt, eadem ratione continua

[1] « De ce tans la, il ne les fit pas mesurees a la lire, comme il à bien sù fere depuis » (p. 65).

[2] Hanc legem primum posuit, circa annum 1525, Ars rhetorica quaedam, cujus auctor, celato nomine, saepius Artem Molineti sequitur. V. Langlois *op. cit.*, p. 84.

[3] *Defens.*, p. 142-143. — Cf. quod *Lyricis Versibus*, anno 1549, praescripsit « Lectori » prooemium (edit. Marty-Laveaux, t. I. p. 175).

[4] « Ni moe non plus que lui [Ronsard], ne me vouloé obliger a cete loe de masculins e feminins : ce que j'è amandè an mes nouveaus ecriz » (p. 65).

[5] In *Odarum* praefatione (1550), Ronsardus de oda sua, Peletario dedicata, « *Des beautez qu'il voudroit en s' Amie* », quam ipse Peletarius anno 1547, *Operibus Poeticis* inseruerat, scripsit : « Il est certain que telle ode est imparfaite, pour n'estre mesurée ne propre à la lyre, *ainsi que l'ode le requiert.* » (Edit. Blanchemain, t. II, p. 10).

[6] Optime dixit Steph. Paschasius, *Rech. de la France*, lib. VI, cap. 8 : « Je ne passeray soubz silence ce que j'ay observé en Clement Marot. Car aux poëmes qu'il estimoit ne devoir estre chantez,... il ne garda jamais l'ordre de la ryme masculine et feminine. Mais en ceux qu'il estimoit devoir ou pouvoir tomber soubz la musique, ... il se donna bien garde d'en user de mesme façon. »

binis rhythmis carmina condidisse, firmiterque sic morem constituisse quem antea sibi separatim statuerant et Joannes Bochetus et Gulielmus Cretinus et Octavianus Sangelasius et antiquiores aliquot poetae.

Jam vero, Peletarius abunde de strophis disserit illaque praecepta tradit :

1° Sint in eadem oda strophae, quamvis arctissime inter se connecti debeant, tam ab aliis aliae solutae, ut unaquaeque per se ipsa valeat, sententiaque non e stropha erumpens sequentem stropham invadat.

2° Nulla sit stropha quae decem versus excedat ; sit etiam rarus tam longae strophae usus, nisi longum sit et ipsum carmen. — At Peletarius hoc praeceptum statim temperat, dicens non se, si quis longiorem stropham informare velit, contra disputaturum esse.

3° Sint ejusdem odae strophae omnes secundum unum et idem exemplar fictae, sintque semper eaedem masculinorum femininorumque rhythmorum vices, ita ut ad lyram carmen accommodari possit.

4° Denique, si strophae versus impares admiserint, ut saepe fit, incedant prius longiores versus, breviores sequantur. — Quod recte praecipit Peletarius, utpote quem harmonia vehementer sollicitet [1].

Quod autem de strophis et antistrophis scribit, nostro quidem sensu, neglegi potest : nam minus in hac re diligens est [2]. An pindaricas odas valde probaverit, dubito :

[1] Haud primum Pleias animadvertit quid in hac lege sit justum. Sic in Bellaii *Lyricis Versibus* (1549), odae duae praecepto non parent, xia *A une dame cruelle et inexorable*, et xiiia *De l'immortalité des poëtes*. (Edit. Marty-Laveaux, t. I, p. 200 et 205). Ronsardi vero *Odarum* editio princeps similia plura exempla praebet : ejus generis odas postea Ronsardus ex operum volumine sustulit. (Edit. princ., f. 71 v°, 72 v°, 96 v°, 98 v°. — Edit. Blanchemain, t. II, p. 409, 410, 464, 465).

[2] Haec parum certa scribit : « Qui voudra fere des strofes e antistrofes, faudra qu'il parle plus hautemant qu'an nule des autres façons » (p. 66). Deinde digressus originem verborum illorum explicat.

nempe « lyricorum principem » Pindarum salutat [1] : sed Horatium in aequo ponere videtur, cum in eum Quintiliani de Thebano vate judicium transferat : « Nous pouvons quasi dire de lui ce que le méme Quintilien disoèt de Pindare : une magnifiçance d'ér, santances, figures, eureuse copie de nons e de moz, e quasi une maniere de fleuve an elocucion » [2] (p. 66-67). Ut Bellaius enim, praecipue Venusino poetae Peletarius semper indulsit.

VI

DE EPISTULA — DE ELEGIA — DE SATIRA

⁂

Peletarius uno capite colligat poematum tria genera, quae cum mensura tum structura communia quaedam habent, scilicet *epistulam* et *elegiam* et *satiram*.

I. De Epistula. — Nemo nescit epistulam magnas partes apud Marotum ejusque discipulos obtinuisse. Forsitan non aliam ob causam Bellaius eam minimi fecerit, ut quae linguam nostram, in familiaribus ac domesticis rebus versata, non illustrare posset [3]. Peletarius autem, qui nihil amitti patitur, eam inter poetica scripta libenter accipit, arbitraturque venustam esse, praesertim « quand on à anvie de parler alegoriquemant e souz ficcion, e qu'on à fantesie de s'ebatre par comparesons, raconter songes e autres gueyetez » (p. 67). Mirum in modum epistulam

[1] « A l'imitacion du premier des liriques, Pindare » (p. 65)

[2] *Inst. Orat.*, X, 1 : « Novem vero lyricorum longe Pindarus princeps, spiritus magnificentia, sententiis, figuris, beatissima rerum verborumque copia, velut quodam eloquentiae flumine : propter quae Horatius eum merito credidit nemini imitabilem. »

[3] *Defens.*, p. 115.

existimat, quamvis omnium metrorum capacem, potissimum, si gravibus personis dedicetur, decasyllabos versus admittere, cum debeat ipsum metrum cum ad rei tum ad personae dignitatem pertinere. Flaccum, ut decet, Peletarius imitandum poetis proponit [1].

II. De Elegia. — Gaudet epistula continuis uniusmodi versibus : at elegia Peletario pulchrior futura videtur, si antiquo more sumpserit alternos versus longiusculos dodecasyllabisque decasyllabos conjunxerit. Jam de epigrammate eamdem sententiam criticus noster expresserat : sed hic opem ei ferebat Ronsardi auctoritas qui, anno 1553, hujuscemodi, nec, ut nobis quidem videtur, infeliciter, elegiam de morte Antonii Chateignier scripserat [2]. Ceteroqui Peletarius nihil aliud novum de elegia profert [3] : namque cum docet hujus poematis vel funebria vel amatoria materiem esse, jam jamque contrita repetit.

III. De Satira. — Satirae non magis favet quam ipse Bellaius [4]. Nec mirum est : nondum enim, ut vere loquamur, hoc genus apud Gallos exsistebat, nisi forte satiram nomine voces asperum illud poema, sed non profecto minus dissolutum quam asperum, quod Marotus « *coq à*

[1] « Horace à ecrìt des epitres de grande estime : car il n'i an à pas une, qui ne soèt d'anseignemant e filosofique. E qui voudra fere profession d'epitres, il se fera bien reputer, an fesant comme il à fèt » (p. 67).

[2] Edit. Blanchemain, t. VII, p. 202 — Haec elegia primum edita est p. 164 voluminis inscripti : *Le Cinqieme* (sic) *des Odes de Ronsard*, Lutetiae Parisiorum, apud viduam M. de Laporte, 1553, in-8°. (Bibl. Nat. — Res. Y°. 4770).

[3] Satis notum est non illud inceptum praevaluisse, nec alternis versibus longiusculis postea Ronsardum usum esse : cujus *Elegiae* (edit. Blanchemain, t. IV) alexandrinis scriptae sunt, exceptis VIII carminibus (15, 16, 24, 25, 26, 27, 28, 32) quibus poeta decasyllabos usurpavit.

[4] *Defens.*, p. 115 : « Autant te dy-je des satyres, que les Françoys, je ne sçay comment, ont apellées coqz à l'asne : és quelz je te conseille aussi peu t'exercer, comme je te veux estre aliene de mal dire. »

l'âne » appellabat[1]. Satiram autem Peletarius eo respuit quod omnes laedat, neminem corrigat : « Ce g'anre ici n'ét pas trop seur de notre tans. E ancores de mon avis, an quelque tans que ce soèt, il ét d'assez petite consequance : d'autant que ceus qu'on reprand, tant s'an faut qu'iz eet a se reformer par la, qu'iz ne font que s'an egrir d'avantage. Car il n'i à chose si odieuse, qu'une reprehansion personnele, qui se fèt publiquemant ... Brief, la satire ét comme le fiel de l'histoere » (p. 69). Equidem fateor non eum satis intellexisse satirae vim quamdam majorem esse quae latius pateat neque unius, sed omnium mores castiget : unde virtutem suam trahit illud poema. Quis tamen auctori nostro vitio dabit quod nec Regnier nec Boileau futuros esse praesenserit?

VII

DE COMOEDIA — DE TRAGOEDIA

***

Vix paucis verbis Bellaius in *Defensione* futurum poetam hortatus erat, ut apud nos antiquorum et tragoedias et comoedias revocaret[2]. Pluribus Peletarius disserit atque de theatro nova quaedam docet.

Primum, quod ad *comoediam* attinet, Andronici felicem illam definitionem repetit, « comoediam vitae speculum

[1] Peletarius, quanquam *coq à l'âne* esse dicit « une vree espece de satire », tamen fatetur nomen « un peu abjet » ipsumque poema « une chose si vulguere ».

[2] *Defens.*, p. 118 : « Quand aux comedies et tragedies, si les roys et les republiques les vouloint restituer en leur ancienne dignité, qu'ont usurpée les farces et moralitez, je seroy' bien d'opinion que tu t'y employasses, et si tu le veux faire pour l'ornement de ta langue, tu scais ou tu en doibs trouver les archetypes. »

esse [1] » : unde tamen non extrahit quidquid inest, nec comoediae praesentis temporis mores depingendos, ut decuit, assignat : antiquitatem enim nimio studio fovens, poetam vult ita latinae comoediae vestigia persequi, ut iterum in scaenam inducantur versutique servi creduliqne senes improbique lenones adulantesque parasiti militesque gloriosi, quid multa? omnes personae quas assueto pede pulpita prementes antiqui Romani viderunt [2]. Ceterum latinam comoediam tantum admiratur ut Plautum ac Terentium etiamque Caecilium Statium acriter adversus Horatium Quintilianumque defendat, advocatis defensoribus Aelio Stilone [3] Terentioque Varrone Volcatioque Sedigito.

Nullam autem adhuc existimat in Gallia fuisse comoediam : « Nous n'avons point ancores vù an notre Françoes aucuns ecriz, qui usset la vree forme comique, mes bien force moralitez, e teles sortes de jeuz. Auquez le nom de comedie n'ét pas dù. C'ét un g'anre de poéme bien favorable, et qui auroèt bonne grace, si on le remetoèt an son etat e dinite ancienne » (p. 71). Nihil, ut res declarat, de fabula loquitur quam *Eugenium* inscriptam Jodellius anno 1552 docuerat, quamque ejus amici, falso quidem, ut restauratam antiquorum comoediam pronuntiaverant.

Fabulae vero structuram ac figuram, sejuncto prologo, in tres partes recte distribuit, quarum prima res exponit,

[1] V. Donati de tragoedia et comoedia fragmentum : « Comoediam et tragoediam togatam primo Livius Andronicus repperit, aitque *comoediam esse quotidianae vitae speculum*, nec injuria. » (In fronte Terentii fabularum, edit. Reinhold Klotz, t. I, p. xvi, Lipsiae, 1838).

[2] « Il faut fere voèr bien oculeremant l'avarice ou la prudance des vielhars, les amours e ardeurs des jeunes anfans de meson, les astuces e ruses de leurs amies, la vilenie et deshonnetete des maquereaus, la façon des peres tantót severes, tantót faciles, l'assantacion e vilete des parasites, la vanterie e bravete d'un soudart retirè de la guerre, la dilig'ance des nourrices, l'indulg'ance des meres » (p. 70).

[3] Eum prave *Stolonem* Peletarius nominat.

secunda implicat, tertia expedit. Quod tam apte de *tragoedia* quam de comoedia dici potest : illud enim utrique generi commune est, quod in actus quinque fabula spatiatur, secundum Horatii praeceptum :

> Neve minor neu sit quinto productior actu
> Fabula [1].

Ceteris autem inter se differunt, personis, exitu, stylo : « Au lieu des personnes comiques, qui sont de basse condicion, an la tragedie s'introduiset roes, princes e grans signeurs. E au lieu qu'an la comedie les choses ont joyeuse issue, an la tragedie, la fin ét tousjours luctueuse e lamantable, ou horrible a voèr. Car la matiere d'icele sont occisions, exiz, maleureus definemans de fortunes, d'anfans e de parans .... Partant, eles doevet étre du tout diferantes an stile. La comedie parle facilemant, e çomme nous avons dit, populeremant. La tragedie ét sublime, capable de grandes matieres tant principales que depandantes » (p. 72).

Ab Horatio suo Peletarius petit quae de chori partibus [2] deque statis fabulae personarum moribus [3] docet : quare non in his morari necesse est. Imitandos autem tragicis vatibus, ecquis miretur a Peletario praecipue Sophoclem et Euripidem esse propositos? At operae pretium est quid de Seneca senserit ad verbum referre, cum praesertim ejus opera tantum ad formandam gallicam tragoediam momentum incommode habuerint : « Des Latins nous n'avons que Seneque, qui n'ét pas guere magnifique, einçoes pesant e obscur, e tenant beaucoup du changemant de la Latinite : toutefoes santancieus, *e imitable avec jugemant* » (p. 73). Quod plane sine judicio Senecam

[1] *Epist. ad Pisones*, v. 189-190.
[2] *Epist. ad Pisones*, v. 193 sqq.
[3] *Epist. ad Pisones*, v. 119 sqq.

imitati sunt, ob eam rem plerisque tragicis poetis XVI° saeculo tam male successit [1].

Postremo Peletarius memorat graecas aliquot tragoedias in gallicum sermonem doctissime jam translatas esse, praesertim a Lazaro Baifio, cujus morte Gallia tantum deminuta fuerit [2]. Quod si quis miratur auctorem nostrum non, nisi sola fama, Jodellii *Cleopatram* novisse [3], quam Jodellii sodales, ut satis compertum est, haud sine multo tumultu multisque laudibus extulerant, ne obliviscatur illam fabulam in Becodiano Collegio anno 1552 actam esse, cum jam tertium annum Peletarius, Lutetia profectus, Pictavium habitaret, necdum typis esse mandatam. Quare, neglecto Jodellii rudimento, caput suum ita Peletarius concludit ; « Ce g'anre de poéme, s'il ét antrepris, aportera honneur à la langue Françoese » (p. 73). Quam recte futuri spem praeceperit, omnibus clarum est.

VIII

DE OPERE HEROICO

* * *

Jam ad magnum opus tandem pervenimus, maximum quidem, ut Peletario videtur, dico *heroicum opus*. Vix illud properans Sibiletus attigerat, dum queritur « ceste penurie d'œuvres grans et heroïques [4] » qua poesis nostra laborat. Deinde Bellaius illi caput unum *Defensionis* totum

[1] V. Faguet, *La tragédie française au* XVI^e^ *siècle* (*1550-1600*). Lutetiae Parisiorum, 1883 et 1895, in-8°.

[2] In gallicos versus transtulerat Lazarus Baifius Sophoclis *Electram* (1537) et Euripidis *Hecubam* (1544), Gulielmus Bouchetel iterum *Hecubam* (1545), Thomas Sibiletus Euripidis *Iphigeniam Aulidensem* (1549).

[3] « Il an à etè bien nouvelemant fete une par Etiene Jodele Parisien, de laquele j'è ouì seulemant le bruit » (p. 73).

[4] Lib. II, cap. 14.

insumpserat [1]. Qui sane heroici poematis excellentiam et dignitatem praedicabat, omnesque facultates ac virtutes exsequebatur quibus epicum poetam ornari oporteret : qua vero ratione esset faciendum hujus generis opus, aut omnino aut fere neglegebat : id enim dicere satis habebat, poetae scilicet Homerum et Maronem et Ariostum diligenter imitandos, argumentum autem ex veteribus nostris *romantiis*, ut *Lancelot* vel *Tristan*, hauriendum esse [2].

Ab anno 1549, ut vidimus, jam majora poesis tentaverat : longius processerant vates, fideliter antiquorum Italorumque vestigia presserant, ita ut merito credere possent pristinis scribendi generibus in aeternum abolitis opera sua successisse sonettum et odam, tragoediam et comoediam : at opus heroicum deerat. Ronsardus, quanquam eum omnes epicum vatem designabant et se ipse designatum, ut Homero Vergilioque patriam ornaret, putabat, tamen tantum opus, immo tantum onus reformidare videbatur. Interea nemo non votis epos petebat, quo deficiente gallica poesis semper antiquis Italicisque litteris impar maneret. Ergo lectori jam non mirum esse videbitur quod Peletarius epico carmini tam diligenter ac singulariter indulserit.

Etenim, non in hoc tantum capite rem aggreditur quam in primis gratam habet, verum etiam passim, ut occasio postulat aut invitat, libenter attingit : adeo manifestum est eum huic quaestioni potissimum incubuisse. Sic cum perpendit (lib. I, cap. III) quaenam argumenta poesi congruant, queritur nondum poesim nostram in summum esse perductam, « ce qui se fera par l'antreprise de l'euvre heroïque, e non point plus tót » (p. 18). Quin etiam patefacit semet ipsum paulisper in animo habuisse lacu-

[1] Lib. II, cap. 5, p. 119.
[2] V. thesim nostram de Joachimo Bellaio, p. 131-132.

nam explere *Herculeidem*[1] quamdam suscipiendo : timet tamen ne epico carmini tempora sua non venerint, neve sit illud carmen alienae linguae reservatum : « Cepandant, ce ne sera pas peu qu'il se face un euvre heroïque tel que nous atandons » (p. 18).

Declarat alias (lib. I, cap. v) se semper, dum in *Arte Poetica* praecepta atque exempla tradit, epicum opus respexisse : « J'examplifirè par tout pour l'euvre heroïque, sus lequel s'antandront les autres g'anres » (p. 23). Cum autem de imitandi arte disserit ac miratur quam excellenter Vergilius Homerum imitatus sit, eo deducitur ut inter se poetas comparet qui « magnum opus » tentaverint. Ariostum increpat, non modo quod *Orlandum Furiosum* opus appellaverit in quo tres aut quattuor tantum libros Orlandus obtineat, — quod quidem summam compositionis inconstantiam testetur, — sed etiam quod saepius Maronem serviliter secutus sit, ac praecipue quod poemati suo facetias atque nugas maxime indignas inseruerit : « L'Arioste ancores à tant de choses legeres, e comme les Latins diset, futiles, mélees parmi son livre, certes indines du poéme heroïque : e sont celes qui ne peuvet donner splandeur aus ecriz, e qu'il faut expressemant delesser. J'antàn un tas de contes, e plesanteries, qui au lieu de plere, sont desagreables, au moins an un tel lieu[2] »

[1] De qua Peletarius dicit : « C'ét une *Herculeïde*, titre le plus haut e le plus heroïque qui èt etè anvoyè au Royaume des Muses, e qui plus ét, propre a notre France, vù méme qu'Hercule fùt surnommè Galique » (p. 18).

[2] Jam ex illo Peletarii judicio clarius percipimus quomodo gradatim verterit Pleiadis de Ariosto sententia. Nam scripserat Bellaius : « Un Arioste Italien, que j'oseroy', (n'estoit la saincteté des vieulx poëmes) comparer à un Homere et Virgile » (*Defens.*, p. 120). Ronsardus autem, in *Franciadis* priore praefatione, haud multum abest quin vituperet illam Ariosti « φανταστικὴν » poesim, « de laquelle les membres sont aucunement beaux, mais le corps est tellement contrefaict et monstrueux qu'il ressemble mieux aux resveries d'un malade de fièvre continue qu'aux inventions d'un homme bien sain. » (Edit. Blanchemain, t. III, p. 8).

(p. 29). — Nec minus quam jocosa, Peletarius ab epico carmine putida vel tumida repellit : quapropter ut Ariosto, sic Lucano rigidus censor est : quem arbitratur in orationibus inflatum, in personis ad servandum quod decet inhabilem, in descriptionibus redundantem [1]. Nec benignius, ut aequum est, de Statio vel de Silio vel de Claudiano judicat [2].

Alias etiam (lib. II, cap. v) bis affirmat odam, quamvis sit sublimis, non tamen epico operi parem esse : « An parlant des Dieus e des Heroïns, ele se hausse : mes non pas jusques au stile heroïque. Car il i à diferance de dire les louanges des grans, e de chanter leurs gestes » (p. 65). Et infra : « L'ode ét le g'anre d'ecrire le plus spacieus pour s'ebatre, qui soèt *au dessous de l'euvre heroïque* » (p. 66).

Quibus ex omnibus documentis apparet nihil aliud magis quam epos Peletario cordi fuisse. Quare non mirum est quod de opere heroico caput graviter inchoet : « L'euvre heroïque ét celui qui donne le pris, e le vrei titre de Poëte. E si ét de tel conte e de tel honneur, qu'une langue n'ét pour passer an celebrite vers les siecles, sinon qu'ele èt tretè le suget heroïque, qui sont les guerres. Nous dirons donq les autres g'anres d'ecriz étre les

[1] Forsitan haud alienum esse videatur hic totam illam de Lucano Peletarii sententiam transcribere, qua, etsi semel errat, recti sui judicii documentum praebet : « Je ne veù point ici que Lukein soèt pris pour grand Poëte . . . . pour ce qu'il ét trop ardant e anflè, trop afectè an harangues, ne gardant point le bienseant des personnes, fesant parler un nautonnier ou quelque homme ignoble (*queles personnes ancores ne doevet quasi point étre introduites an un euvre heroïque*) d'aussi grand respect, comme un Cesar ou un Pompee. Joint que vous dirièz, quand il ét sus la descripcion de quelque matiere, qu'il n'an doèt james sortir, n'eyant le jugemant de se tamperer e suprimer duemant quelque point ou quelque reson non necessere : qui ét un artifice bien grand an un Poëte. Vrei ét qu'il à quelquefoes de bons trez antresemez : léquez l'homme de bon esprit pourra prandre pour an fere son profit an bon lieu » (p. 29-30).

[2] Cf. quid de latinis epicis poetis Ronsardus, in *Franciadis* altera praefatione, judicaverit. (Edit. Blanchemain, t. III, p. 22-23).

rivieres e ruisseaus, e l'heroïque étre comme une mer, einçoes une forme e image d'univers : d'autant qu'il n'ét matiere, tant soèt ele ardue, precieuse, ou excelante an la nature des choses, qui ne s'i puisse aporter, e qui n'i puisse antrer » (p. 73).

Sic in lucem prolata epici carminis excellentia, quaenam Peletarius tam audaci poetae praecepta dabit, ut tantum opus aggrediatur? — Primum, ut videtur, de argumento eligendo disserendum est : attamen Peletarius gravissimam hanc quaestionem omnino praeteriit : vix attigit, Bellaii memor [1], quae commoditas e gallicis veteribus romantiis percipi possit : « Je trouve noz rommans bien invantiz. E dirè bien ici an passant, qu'an quelques uns d'iceus bien choesiz, le Poëte heroïque pourra trouver a fere son profit : comme sont les avantures des chevaliers, les amours, les voyages, les anchantemans, les combaz, e samblables choses » (p. 78-79). At rei non longius studet.

Rursus in Maronis virtutibus multus est, quem tot et tantis laudibus extollit, ut *Aeneida* tanquam perfectum epos semper proponat. Certe mirari licet quod Vergilio Homerum imparem fuisse judicaverit : judicavit profecto, qui de Marone dilucide ita sit locutus : « C'ét l'auteur que je veù prandre pour mon principal guidon an mes tradicions poëtiques » (p. 19). Dum vero longam inter utrumque poetam collationem instituit, Vergilio clare concedit Homeri virtutes omnes, nulla fere ejusdem vitia [2].

[1] *Defens.*, p. 120 : « Choysi moy quelque un de ces beaux vieulx romans francoys, comme un Lancelot, un Tristan, ou autres : et en fay renaitre au monde une admirable Iliade et laborieuse Eneide. »

[2] V. totum locum (p. 25-28) qui sic incipit : « E qui me trouvera trop hardi juge, considere les grans segrez, e pour bien dire, les misteres qui sont an Virgile : e il trouvera qu'Homere n'ét an rien plus eureus, sinon que pour avoèr precedè an tans ... » etc — Cf. alium locum (p. 11-12), ubi declarat auctor noster in Marone Homeri simplicitatem ac veritatem inesse, ac nescio quid amplius.

Haec ardenti studio effusa legat, si quis scire velit quatenus vatem suum Peletarius dilexerit : « Il ét facile a voèr que les principales faveurs e singuliers presans de Parnase lui ont etè departiz. Quand vous avèz lù une foes quelque autre Poëte, vous cessèz d'an tenir grand conte, e vous an refroedicèz ne sè commant votre apetit. Mes Virgile, tant plus vous le lisèz e antandèz, plus vous l'admirèz e plus le voulèz relire. Soèt donq Virgile patron e example au Poëte futur » (p. 85).

Ergo summus poetarum Vergilius : quamobrem *Aeneide* continuo jam Peletarius exemplo utetur, dum suam de epico carmine doctrinam expromit.

Desunt quidem huic doctrinae praecepta quae universo operi conveniant ac totum ad poema pertineant. Non desunt rursus de singulis rebus singula consilia. Sic primum docet quaenam exordii species esse debeat : « Le commancemant doèt étre modeste, apert e antandible, a l'imitacion de la Nature : laquele donne aus choses qu'ele veùt fere durables, une origine de petite e simple montre: mes avec preferance de beaute, pour les conduire par acroessemant a leur perfeccion [1] » (p. 73-74). Omnino mirandum est Peletarii sententia, *Aeneidis* exordium [2]. — Praeterea, sicut et Flaccus [3], « in medias res » sine mora procedere poetam jubet, nec argumentum ab origine repetere : « Le grand euvre ne se commance pas a un premier bout, eins a quelque androet notable des annees suivantes [4] » (p. 74). Nam ita fecerunt et Homerus et Maro.

[1] Cf. Bolaei praeceptum (*Art Poét.*, III, 269) :
Que le début soit simple et n'ait rien d'affecté.

[2] *Aeneidis* exordium et ipse Bolaeus in exemplum proponit, cujus modestiam ac simplicitatem contra tumidum istum et ambitiosum ingressum praedicat, quem *Alarici* scriptor, Georgius Scudéry, personuit.

[3] *Epist. ad Pisones*, v. 148-149.

[4] Ipse Ronsardus, nec minus expresse, posterius dicet : « Le poëte bien advisé, plein de laborieuse industrie, commence son œuvre par le milieu de l'argument, et quelquefois par la fin. » (Edit. Blanchemain, t. III, p. 20).

Quae postquam de incipiendo poemate praecepta tradidit, Peletarius, ut diligenter heroici carminis « imaginem et faciem » ostendat, nihil aliud quam *Aeneidis* summam copiose exsequitur. Jam supra (lib. I, cap. IV), cum monstrare vellet quemadmodum inventio dispositioque inter se cohaereant, Maronis opus usque ad quarti libri finem excusserat. Tantus est ejus candor tantaque simplicitas, ut satis habeat interruptam commentationem repetere et reliquum opus excutere. Sed non eum describentem persequemur. — Ad summam, Vergilii poema Peletario videtur in se virtutes omnes complecti quibus heroicum opus ornandum sit. Etenim :

1° Mira quadam arte valet lectoris animum exspectatione suspensum tenendi.

2° Peritissime poeta carmini suo philosophiae quosdam locos inseruit.

3° Varios humanae vitae affectus, ut amicitiam et amorem in parentes aut in conjugem aut in fratres, subtiliter depinxit : nec minus subtiliter officia quibus fungi debet hospes aut rex aut judex aut legatus aut imperator [1].

4° Apud Maronem omnia dicendi genera reperias, nunc *copiosum* genus, nunc *breve*, nunc *siccum*, nunc *floridum* : « An quoe il à imitè cete grande ouvriere e mere Nature, quand il à fèt un acord de tant de sortes e de si divers tons » (p. 84).

Quid? Nullum igitur Vergilio vitium est? — Nempe sunt vitia, sed quae pro virtutibus fere Peletarius habeat : nam his naturae propior ac similior poeta est : « Faut il trouver etrange, si ce Poëte qui à etè divin an tant de choses, s'ét montrè homme an quelques unes? lequel einçoes exhiberoèt un trop grand miracle an la nature,

[1] Cf. capitis « de poesis ornamentis » locum quemdam, in quo Peletarius, semper auctore Vergilio, de personarum dignitate disserit (p. 44-45).

s'il etoèt parfet de tous ses poinz. E méme, ne seroèt pas le monde auquel nous l'avons nagueres comparè. La terre n'ét ele pas fertile a blez e a fruiz an un lieu, e sterile an l'autre? ici guee an preries ou foréz, alheurs rude e raboteuse an rochers e lieus desers? ici arrosee de fonteines e fleuves, e la, seche e alteree? » (p. 82-83).

Denique Peletarius memorat versus illos quibus Caesar Augustus summum vatem celebravit :

— Imperii divi sub nomine vivat,
Laudetur, placeat, vigeat, relegatur, ametur.

Et ipse, quasi divino furore tactus, exclamat : « O dine voes e imperiale! O dine louange de dine suget! O qu'il i ut ancore un Auguste, pour voèr s'il se pourroèt ancore trouver un Virgile! » (p. 86).

Frustra quidem optabat! Nec enim Henricus Secundus novus Augustus erat, nec Ronsardus, ut videtur, novus Maro.

IX

DE POETICIS QUIBUSDAM LICENTIIS

*

Ex hoc capite prorsus apparet quam vitiose scriptores XVI° saeculo composuerint. Nam quae Peletarius hic de poeticis quibusdam licentiis addidit, ea sane commodius, cum de lingua vel de versificatione loqueretur, disseruisset.

Notum est illud facetum Theodori de Banville hoc modo caput quoddam scribentis : « LICENCES POÉTIQUES. — *Il n'y en a pas* [1]. » Non tam imperiosus est praeceptor

[1] *Petit traité de poésie française*, cap. IV. Lutetiae Parisiorum, apud Charpentier, edit. 1894, p. 63.

noster : at, quanquam poetis nonnulla concedit, tamen vult eos quam parcissime licentiis uti [1].

1° Sunt Latinis hypercatalecti versus, breviumque syllabarum in caesura productio : nihil tale nos habemus. Sed nos, ut Latini, duas vocales admittimus in unam contractas, vulgoque dicimus verbum *chré-tien* disyllabum pro trisyllabo *chré-ti-en*. Peletarius eadem licentia poetas uti velit in verbis etiam quae desinunt in *i-eux*, *i-er*, *i-on*, et si qua talia sunt, ita ut, exempli causa, dici possit *pré-cieux* disyllabum pro trisyllabo *pré-ci-eux*. Contra, monosyllabon aliquoties in disyllabum posse dispertiri velit (*mi-el*, *fi-el*, *hi-er* [2]).

2° Licentia nobis erit, Peletarii sententia, dicendi *donrai* pro *donnerai*, *granment* pro *grandement* : cumque verborum usus permittat *lourai* pro *louerai*, *jourai* pro *jouerai*, permittetur et detrahere insonam *e* litteram, qua plurativo numero verba quaedam desinunt, ita ut dicatur *gru's* pro *grues*, *oi's* pro *oies*. Profitetur ipse Peletarius se talem licentiam interdum usurpasse nec, si quis alius usurpaverit, vitiosam esse habiturum [3].

3° Vult etiam scriptura plane distingui a prima secundam in verbis personam, constanterque scribi *je sen*, *je tien*, *je fai*, non *je sens*, *je tiens*, *je fais*, at contra *tu donnes*, *tu aimes*, non *tu donne*, *tu aime*. Nimirum tali confusione rhythmus gaudet : sed de rhythmo Peletarius haud nimia libertate poetis utendum esse arbitratur : « Pour la rime, ne conseilherè point au Poëte d'étre trop liçancieus. Car il faut gagner ce point, que la rime ne nous face fere

[1] « Les liçances giset au bon jugemant du Poëte. Car il i faut étre sobre e discret » (p. 88).

[2] Notandum est illud verbum *hier*, quod principio unius syllabae fuit, postquam quidem aliquamdiu mansit dubium, nunc pro disyllabo haberi.

[3] Cf. quae Ronsardus in *Arte Poetica* dixit, edit. Blanchemain, t. VII, p. 327-328

chose contre la loe de l'usage : d'autant qu'on l'à estimee de tout tans sugete e contreinte a ce vice la : lequel blame lui faut óter tant qu'on pourra » (p. 87).

4° Denique, petit ut praepositiones poetis nonnunquam liceat vel tollere (*il est nécessaire parler*, pro *il est nécessaire de parler*) vel addere (*je désire d'aller* pro *je désire aller*).

X

QUAENAM ESSE DEBEANT POETARUM VIRTUTES

* * *

Ad totius operis conclusionem pervenimus, in qua Peletarius quaerit quae sint poetae vere necessariae virtutes ut dignus illo nomine sit.

Primum voluntate vigeat : « Le moyen de parvenir bien haut, ét d'aspirer au supréme .... Croee donq notre Poëte, que le premier acces a la souvereinete ét par le courage. N'estime son esprit incapable de perfeccion : ambrace par cogitacion l'universe structure des choses : respire un vouloèr invincible e un desir insaciable : e lors s'assure de surmonter » (p. 89). Namque cetera sunt extra potestatem nostram : artes autem ac scientiae sunt in nostra manu, dummodo naturam fortissime laborantes adjuvemus : « car ceus la peuvet, qui cuidet pouvoèr ».

Nec *velle* satis est : *scire* quoque poetam oportet. Sciat astrologiam et cosmographiam et geometriam et physicam, ne multa, totius philosophiae summam. Sit etiam prudens ad epos condendum rei militaris reique nauticae [1], neu mechanicas artes prorsus ignoret, ne, si forte de rebus

[1] « L'art de la guerre lui doèt étre familier, puis que c'ét le principal suget du poëte heroïque, e mémemant l'art nautique » (p. 89).

illis loquendum sit, plane rudis esse videatur [1]. Ergo Peletarius, utpote qui Renovationis tempore vixerit, paulum abest quin omnium rerum scientia poetam imbutum esse velit.

Alias quoque virtutes auctor noster in vate quaerit, eas scilicet quae magis ad mores pertinent : « Sache donq, quiconque se voudra fere profes de la religion des Muses, que leurs seinz antres sont inaccessibles a celui qui sera avaricieus d'autre chose que d'honneur. E ancores cete avarice la ne doèt aucunemant santir son ambicion. La gloere ét de tele sorte, qu'ele fuit ceus qui la cherchet trop instammant : ele ne se veùt point avoèr par force, nomplus que le rameau d'or. Estime le Poëte tout un, de desirer l'honneur e le meriter. Antande que celui an à la moindre part, qui presume tout avoèr » (p. 90). Peletarius, ut quidem apparet, elate cogitat. Necdum satis esse quae dixerit arbitratur : nam addit alia praecepta, nec sane minoris momenti. Semper illud animo poeta proponat, se, si quid semel pulchrum fecerit, pulchrius facere continuo debere, nec satis agere si solum famam suam non minuerit. Aeterna cordi habeat [2], neve tantum in mille vel duo millia annorum laboret, sed in infinita saecula. Sibi sit ipse rigidus ac difficulter contentus, memor se, si quid peccaverit, peccati veniam non impetraturum.

Dein satis longe Peletarius disserit quis fructus ex aemulatione percipi possit : « Se repute eureus d'avoèr un emulateur : e tant plus le pregne a son avantage, que

[1] Jam dixerat Bellaius in *Defensione*, p. 147 : « Encores te veux-je advertir de hanter quelquesfois non seulement les scavans, mais aussi toutes sortes d'ouvriers et gens mecaniques, comme mariniers, fondeurs, peintres, engraveurs, et autres, scavoir leurs inventions, les noms des matieres, des outilz et les termes usitez en leurs ars et metiers, pour tyrer de la ces belles comparaisons et vives descriptions de toutes choses. » — Cf. quae dixit et ipse Ronsardus, edit. Blanchemain, t. VII, p. 321, et t. III, p. 26 et 31.

[2] « Èt le keur a l'eternite » (p. 90).

plus il le connoetra savant e vertueus. Car il n'i à chose qui pousse plus avant, ni qui soèt meilheur eperon a bien fere, que l'emulacion, ni qui temoigne plus certeinemant la felicite d'un tans. Quand le Poëte se voèt nè an une eureuse seson, il doèt panser qu'antre tant de singularitez qu'il voèt a un coup, il n'i an à qu'une desirable, qui ét d'exceler ... Ce n'ét point d'honneur, que de demeurer an equalite » (p. 91). Quod si forte nullus inter aequales poetae visus fuerit dignus quem aemulum habeat, tunc Homerum et Maronem quasi secum concurrentes aemuletur, studeatque non aequare dico, sed superare [1]. Ne irascatur reprehensus, etiam falso : non enim admodum inutilis est reprehensio. Sagaciter discernat et eum qui jure laudat et eum qui blanditur, neve nimias laudes credulus accipiat. Illud vere gallicum vitium, inconstantiam in judicando, quasi praeteriens Peletarius subtiliter notat : « E principalemant, pour ne rien flater, ne s'assure sus le jugemant de nous autres Françoes, qui sommes tous convoeteus de nouveautez, prons a admirer, e puis aussi prons a nous dedire » (p. 91-92).

Jam vero, quaerit quomodo poeta ceterorum poetarum et generaliter omnium temporis sui litteratorum commercio uti debeat : quem jubet omnibus amicum esse, nec studio nec invidia laborare, sed diligenter contendere ut ex privatis aequalium virtutibus lucrum sibi percipiat. — Jubet quoque poetam natura familiariter uti, librosque, ut res ipsas visat, saepius deserere : quo quidem praecepto nihil sanius, nihil justius : nam poeta, dum ad illum

[1] Haud aliter Racinius in priore *Britannici* praefatione : « De quel front oserois-je me montrer, pour ainsi dire, aux yeux de ces grands hommes de l'antiquité que j'ai choisis pour modèles ? Car, pour me servir de la pensée d'un ancien, voilà les véritables spectateurs que nous devons nous proposer ; et nous devons sans cesse nous demander : « Que diroient Homère et Virgile, s'ils lisoient ces vers ? ... »

veritatis vitaeque fontem, naturam, subinde redit, putidiorem scientiam effugit.

Opusculum concludit Peletarius consilium afferendo quod, quanquam in omnibus post Horatium editis Artibus versatur, nunquam tamen ex supervacuo repetitum erit : scilicet poetae necesse est amicum eligere qui sibi sit censor : « Sache sus toutes choses le Poëte fere la preuve du jugemant des hommes. Soèt pront a communiquer ses ecriz a un ami intime e choesi [1]. » Addit praeceptor noster : « Autant qu'il sera facile a les fere voèr a un ou a deus, plus il sera long e tardif a les metre an vue publique » (p. 92). Non quidem melius praescribi potest illud grave laborandi officium quod poetae incumbit, illaque quasi religiosa veneratio qua artem suam colere debet. Et vero, poetae nimia nunquam in cogitando gravitas, nimia nunquam in scribendo diligentia esse potest : nonne enim, ut ipse Peletarius ait, in theatro quod non minus est quam orbis terrarum, maxime spectabilem personam agit [2] ?

[1] Cf. *Defens.*, p. 147 : « Sur tout nous convient avoir quelque scavant et fidele compaignon, ou un amy bien familier, voire trois ou quatre, qui veillent et puissent congnoitre nos fautes, et ne craignent point blesser nostre papier avecques les ungles. »

[2] « Qu'il èt sus toutes choses a considerer, quel role il prand a jouer : c'ét qu'il se presante pour la plus spectable personne du teatre, e ce teatre ét l'univers » (p. 93).

CONCLUSIO

Nunc igitur, postquam Jacobi Peletarii Cenomanensis *Artem Poeticam* membratim excussimus, nec inexploratum in ea quidquam aut novum aut grave reliquimus, quod nobis de universo opere judicium erit?

Non tanti sane Peletarii libellus mihi factus esse videtur quanti meruit, quem aequales vel omnino vel fere tacuerunt. Forsitan ei nocuerit illa singularis orthographiae ratio qua scriptor usus sit. Illud quidem certum est non multorum sermone, cum exiit, opus celebratum esse. Ronsardus ipse, quanquam libellum anno 1555 editum procul dubio legerat, tamen, nec in *Arte Poetica* sua nec in *Franciadis* praefationibus, ullam Peletarii nominis mentionem fecit.

Primus omnium, nisi fallor, Antonius Verdiarius auctoris nostri poeticen minime pretio carere agnovit, quippe qui *Gallicae Bibliothecae* suae (1584) tria Peletarii capita de imitatione, de translationibus, de verbis inseruerit [1]. Annis autem post quattuordecim (1598), *Artis Poeticae* cujusdam nunc plane obscurus conditor, Petrus Laudunius, interdum Peletarii, saepius tamen Ronsardi maximeque Sibileti, sententias assumpsit [2].

Haud sine miratione quadam Peletarii nomen XVII° sae-

[1] *Bibl. franç.*, edit. Rigoley de Juvigny, 1772-1773, t. II, p. 294-302.

[2] M. de Clinchamp, in *Bulletin du Bibliophile*, oct. 1847, p. 453. — Cf. Pellissier, *op. cit.*, p. 7 et 51 sqq.

culo citatum invenimus. Hoc tamen judicium in prooemio *Poetices* [1] (1640) Parisiensis medicus quidam, La Mesnardière, emittit : « L'Art de Jacques Pelletier est assez considérable pour faire estimer son esprit, sa doctrine et son jugement, et pour montrer à nos Poëtes que ceux qui les ont devancez alloient chercher des diamans dans Athenes et dans Rome, avant que de se parer ni des émaux de Florence, ni des verres de Madrid. » Tamen, non equidem ausim affirmare criticum opus, de quo sic judicaverit, serio legisse [2].

Incertum an diligentius legerit mediocris ille litteratus Baillet qui, cum « *Judicia doctorum hominum* » excerperet (1685), hoc tantum de Peletarii libello locutus sit : « Il n'y a rien de fort singulier, si on en excepte la bizarrerie de son orthographe. Néanmoins plusieurs ont jugé ses maximes assés judicieuses [3]. » Quod autem Baillet dixerat, id ad verbum iterare Niceron satis habuit (1733) [4].

Contra, sedulus ille abbas Goujet Peletarii opusculum attente evolvit, de quo quam optime existimavit : « Il y a certainement dans ce livre beaucoup de maximes justes et remplies de bon sens : *on ne vit rien de meilleur alors, ni dans tout le seizième siècle* [5]. »

Nobis quidem non operae pretium esse videtur illam *Artem Poeticam* cum hujuscemodi ceteris libris, qui per XVI^um saeculum editi fuerunt, conferre, nec utrum ceteris

[1] Lutetiae Parisiorum, apud Antonium de Sommaville, 1640. (Bibl. Nat. — Y. 89).

[2] Haud temere dicere mihi videor hunc medicum sine diligentia libros de quibus scripsit legisse. Argumento sit quod de Bellaio pronuntiavit : « Ce qu'a écrit du Bellay dans le traitté judicieux qu'il intitule l'Art Poëtique (!) nous apprend que cet homme illustre avoit une belle ambition, et digne de sa naissance. »

[3] *Jugemens des Savans*, edit. La Monnoye, 1722, t. III, p. 291.

[4] *Mémoires*, t. XXI (1733), p. 371.

[5] *Bibl. franç.*, t. III (1741), p. 97-98.

praestantior sit necne perpendere Sed nescio an haud supervacuum sit breviter indicare quo Peletarius inclinaverit quidve momenti summatim habuerit.

Illud primum *Artem Poeticam* legentibus occurrit, multa jam in lucem proferri quae prius in *Defensione* subobscura manserant, ita ut Pleiadis doctrina clarius ac plenius expromatur. Ut enim Bellaius, sic Peletarius in primis antiquos imitandos esse docet : at quomodo sit imitandum diligentius definit atque, correctione quadam adhibita, singularem ac propriam inveniendi virtutem reservat. De eligendis argumentis Bellaio copiosius disserit; amatoriis rebus nimis indulsisse poetas arbitratur, unde minus eum quam aequales Italis favisse patet; scientias, utpote qui mathematicis incubuerit, in poesim introduci postulat. Distinctius et oratorium a poetico sermonem separat, ita ut paulum absit quin et orationibus et carminibus singulas diversasque linguas attribuat : idcirco scriptores hortatur ut patrium sermonem multiplici ratione ditiorem efficiant, pluresque ditandi modos indicit, quos Bellaius praeterierat. Denique, perfectae versificationis quam ipse Pleiadis praeco studiosior est, metrorum genera curiosius observat, locupletissimos rhythmos praecipit, ut plenius sonent versus, introductum alexandrinum praedicat, masculinos femininosque rhythmos vicissim ordinari comprobat.

Nec diligentior modo de scribendi versus ratione Bellaio Peletarius est, verum etiam magis temperatus ac prudens. Frustra quaesiveris apud eum vim illam animi superfluentem qua plerumque fertur acer ille *Defensionis* auctor, quaque rerum indigentiam haud semel occultari fatendum est. Peletario enim non jam juvenis impetus, at viri cum aetate tum scientiarum tractatione sedatioris facti moderatio. Accedit ut non solum in hominibus, sed in rebus

ipsis, post sex annos exactos, nescio quid placatius factum esse videatur. Vicit enim poetarum nova legio, jamque, cum nulla sit metuenda fortunae vicissitudo, majore clementia utitur. Quare Peletarius Marotum, ut aequum est, laudat, non secus ac laudabit et ipse, post aliquot annos, alter ille Pleiadis fautor Paschasius, Marotique *Psalmos*, sicut et Paschasius, ut spem futurarum odarum probat.

Praeterea, jam in Peletarii libello paululum apparet novum hoc studium quo Latini scriptores mox Graecis apud nos anteferentur : quod quidem, ut compertum est, circa annum 1560 praevaluit [1]. Procul absit ut Peletarium a Graecis abhorruisse contendam: immo vero, sicut omnes Aurati discipuli, vehementer illos rerum omnium magistros admiratus est summisque laudibus exornavit, nec, ut postea Scaliger, stolide Senecae tragoedias Sophoclis Euripidisque fabulis praetulit. Attamen haud semel fit ut Latinos scriptores nimio quidem studio foveat. Etenim, dum Quintiliano concedit Romanos in comoedia Graecis impares fuisse [2], Plauti Terentiique, quin etiam Caecilii Statii virtutes exsequitur, Aristophanis vero ne nomen quidem memorat. Cum autem de lyricis carminibus disserit, etsi Pindarum « lyricorum principem » frigide salutat, multo longius ac libentius in Horatio commoratur, adeo ut illi, quas Thebano vati Quintilianus tribuerit, laudes exsolvat. Denique in opere heroico maxime Latinis indulget, quippe qui, quamvis Homero multa, plura tamen Maroni dederit.

Certe Vergilio nullum poetam alium frequentius memo-

[1] Testis est Scaligeri *Poetice* (1561). V. Lintilhac., *op. cit.*, praecipueque cap. IV, p. 49.

[2] « ... An quoe dissimulerons pour cete heure le jugemant de Quintilien : lequel n'aprouve pas grandemant les comedies fetes des Latins, atribuant toute la naïvete e grace au seul atticisme. Mes c'ét sa coutume, an beaucoup de g'anres, de rabesser les ecriz Rommeins. Léquez a la verite n'arrivet pas a la perfeccion des Gréz, an cet androet » (p. 70-71).

rat, nullum magis laudat. Quem semper auctorem habet, sive varias poetae virtutes apud eum extollit, sive poetis exempla post data praecepta proponit [1] : « *C'ét l'auteur,* ait, *que je veù prandre pour mon principal guidon an mes tradicions poëtiques* » (p. 19). Hunc dum Homero confert, nihil aliud quam Maronem demonstrat, cum Homerum imitatus sit, fere semper magistrum superasse : nec in vate suo vitia fuisse concedit, at potius propemodum vitia pro virtutibus habet, ut quae propiorem eum naturae similioremque efficiant. Ergo non primus Scaliger aras divino Maroni statuit, ad quas ceteros poetas mactaret [2]. Non quidem timidior aut modestior in Vergilium Peletarii cultus, et ipse quodam modo Vergilianae divinitatis sacerdos fuit. Quare quis miretur Ronsardum in altera *Franciadis* praefatione de Maronis excellentia scripsisse : « Il ne faut s'esmerveiller si j'estime Virgile plus excellent et plus rond, plus serré et plus parfait que tous les autres, soit que dés ma jeunesse mon regent me le lisoit à l'escole, soit que depuis je me sois fait une idée de ses conceptions en mon esprit (portant tousjours son livre en la main), ou soit que, l'ayant appris par cœur dés mon enfance, je ne le puisse oublier. » Et infra : « Je m'asseure que les envieux caqueteront de quoy j'allegue Virgile plus souvent qu'Homere, qui estoit son maistre et son patron, mais je l'ay fait tout exprés, sçachant bien que nos François ont plus de cognoissance de Virgile que d'Homere et d'autres autheurs grecs [3]. » Qui primo poetarum omnium principem Homerum arbitrabatur, paulatim in communem aequa-

[1] Maronis auctoritatem illam seu varias virtutes seu quaedam exempla proponit Peletarius p. 6, 9-10, 12, 16, 17, 19-20, 22, 23-29, 32-34, 36, 37, 39-40, 43-47, 49, 51, 53, 55, 58, 74-86, 87, 91, 93.

[2] Lintilhac, *op. cit.*, p. 49.

[3] Edit. Blanchemain, t. III, p. 23 et 26.

lium sententiam ipse transierat, nescio an invitus. Quis autem Vergilio favorem tantum paraverat? Scaligero sane debetur multa pars : non tamen nulla pars Peletario.

Jam illud attigimus quod in Cenomani scriptoris opusculo maximi ponderis est quodque revera maximum apud posteros momentum habuit: doctrinam dico de opere heroico, quam non solum in singulari, necnon longissimo quidem, capite, sed etiam passim explicuit, quippe cum ad epos respiciens, ut ait ipse, praecepta tradiderit [1]. Non equidem dubito Peletarii doctrina magis illam apud nos vulgatam esse jam a Bellaio prolatam opinionem, scilicet necessario Gallis epos quoddam condendum esse, si quando linguam suam antiquis linguis aequam fieri vellent, simulque magis excitatum esse Ronsardum ut tandem opus illud, ab omnibus exspectatum, perficere conaretur. Quod, si temporum rationem habueris, plane manifestum erit.

Etenim, jam anno 1550 Ronsardus, in oda quadam Henrico Secundo dedicata [2], se, si tempora, nempe si regis ipsius largitiones faverent, promiserat heroicum de Franco carmen scripturum esse, cujus carminis, pindarico more digressus, quasi figuram, etsi breviter, adumbraverat. Deinde tacuit atque versatus est in sonettis, in odis, in odulis. Ecce autem ineunte jam anno 1555, cum *Odarum* quattuor primos libros iterum ederet [3], non satis intentum regem rursus appellavit : nam in oda prima tertii libri [4] futuram *Franciada* suam denuo describebat, denuoque principis

[1] « J'examplifirè par tout pour l'euvre heroïque, sus lequel s'antandront les autres g'anres » (p. 23).

[2] Edit. Blanchemain, t. II, p. 23.

[3] *Les quatre premiers livres des Odes de P. de Ronsard.* Lutetiae Parisiorum, apud viduam M. de La Porte, 1555, in-8°. (Bibl. Nat. — Res. Y°. 4770). — Privilegium apud Aquae bellae fontem datum est, die januarii IV° 1553 (n. s. 1554). Typis exactum est opus die januarii XXV° 1555.

[4] Edit. 1555, f° 58 v°. — Edit. Blanchemain, t. II, p. 172.

auxilium flagitabat. Insuper in fronte voluminis alterum carmen Henrico Secundo dicatum praeposuit [1], cujus eadem clausula :

Les vertus et le bien que je veus recevoir,
C'est le moien bien tost en armes de pouvoir
Amener ton Francus avec une grand' trope
D'Asie, pour donter la plus part de l'Europe ;
Mais il te faut paier les frais de son arroi ... etc.

Vix autem paucis mensibus post editum hoc Ronsardi volumen Peletarius opusculum suum in vulgus emisit [2]. Opportunum certe Ronsardo tempus ! Nam et ipse Peletarius altero Maroni alterum Augustum petebat [3]. Cum ergo Peletarius eum provocare videretur, cumque Bellaius a Roma non minus vehementer incitaret [4], dux Pleiadis suscipiendum opus toto animo cogitabat, et, deficiente Augusto, jam ad Maecenatem Carolum Lotharingum cardinalem conversus, in *Epistula* quadam, principio cum *Hymnorum* secundo libro conjuncta [5] (1556), sic loquebatur :

Je ne sçaurois penser que des peintres estranges
Meritent tant que nous les postes des loüenges,

[1] Edit. 1555, in fronte (extra paginas). — Edit. Blanchemain, t. II, p. 19.

[2] Privilegium, ut jam diximus, apud Aquae bellae fontem, die maii IV° 1555, datum est.

[3] Memento finem capitis de opere heroico : « O qu'il i út ancore un Auguste, pour voèr s'il se pourroèt ancore trouver un Virgile ! » (p. 86).

[4] V. Bellaii *Poemata*, edit. 1558, f° 20 r° : *Ad P. Ronsardum ut relictis Amoribus Heroica scribat*. Cf. f° 12 r°. — Cf. etiam in gallicis carminibus *A Pierre de Ronsard* et *Hymne de la Surdité* (edit. Marty-Laveaux, t. II, p. 120 et 403). — Ad extremum Bellaius minus patienter Ronsardi moras tulit amicumque reprehendit quod proposito staret nec unquam ad rem veniret. V. *Tristia*, son. 23.

[5] *Le second livre des Hymnes de P. de Ronsard*. Lutetiae Parisiorum, apud Andream Wechel, 1556, in-4°. (Bibl. Nat. — Res. Y^e. 489). — Carmen illud (*Epistre à Charles, cardinal de Lorraine*), quod p. 75 editionis principis versatur, posthac in *Poemata* transiit, sed ex operibus suis a Ronsardo tandem subductum est. (Edit. Blanchemain, t. VI, p. 276).

Ny qu'un tableau basty par un art otieux
Vaille une Franciade, œuvre laborieux !
. . . .
Une ode, une chanson, se peut faire sans pene ;
Mais une Franciade, œuvre de longue halene,
Ne s'accomplist ainsy, il me fault esprouver
La longueur de dix ans avant que l'achever,
Car un livre si grand et si plain d'artifice
Ne part ainsy des mains sans qu'on le repolice [1].

Non quidem hic locus est *Franciadis* historiam verbosius exsequendi. Mihi satis erat ostendere circa annum 1555 maximam apud nos heroici carminis condendi curam fuisse, Peletariumque curam illam eo tempore quovis alio gravius et acrius habuisse, qui scripserit : « L'euvre heroïque ét celui qui donne le pris, e le vrei titre de Poëte. E si ét de tel conte e de tel honneur, qu'une langue n'ét pour passer an celebrite vers les siecles, sinon qu'ele èt tretè le suget heroïque » (p. 73). Quod per tria saecula Galli, maxime ut quidem putabant necessarium, epos exspectarunt ; quod Ronsardus illud perficere conatus est, atque *Franciada* suam ad *Aeneidis* exemplar, laudatis in doctissima praefatione Vergilii virtutibus, composuit ; quod et post Ronsardum idem inceptum alii frustra tentaverunt ; quod ipse Bolaeus epici carminis illas leges satis notas tradidit ; quod *Henrias* — o tacere liceret ! — in lucem edita est : nonne quodam modo Peletarius est auctor ? nonne classicis scriptoribus falsam ille viam aperuit?

Sed hactenus. Non equidem vituperando finem faciam : nam criticus noster, etsi saepius erravit, haud semel factum est ut subtiliter ac sagaciter judicaret. Ceterum, qualiscumque fuit ejus doctrina, procul dubio poesim ardenter

[1] Edit. Blanchemain, t. VI, p. 287-288.

coluit, patrium sermonem illustrare vehementer studuit. Quare de litteris bene meritus est, ideoque, nisi fallor, non nihil est dignus qui tandem ab oblivione ter saeculari revocetur. Haud inanem operam sumpsisse mihi videor, si probare valuerim aliquid profecturum esse cuique gallicae, Renovationis tempore, poesis curioso Jacobi Peletarii libellum.

Vidi ac perlegi,
Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,
a. d. III Id. Mai. ann. MDCCCC,
Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi Decanus,
A. CROISET

Typis mandetur,
Academiae Parisiensis Rector,
GRÉARD.

INDEX RERUM

PARS PRIOR

PARS ALTERA

LILLE. — IMPRIMERIE LE BIGOT FRÈRES